

# ANNALIUM PROVINCIAE S. JOSEPHI

Ordinis Excalceatorum SSS. TRINITATIS  
Redemptionis captivorum.

## LIBER II.

### SYNOPSIS.

**R**edemptioni captivorum datur initium: prima dum in Tartaria peragitur, alterius peragenda in Turcia propter amissum Belgradum necessitas suboritur, tertia quoque in Taurica Chersoneso sive Krimea inter plurimas arumnas, toleratis quoque carceribus, absolvitur. Hoc triplici nostrorum conatu in tenuibus illis primordiis hujus Provinciae tres & septuaginta Christiani sunt in libertatem asserti. Subinde hic zelus oraculo Summi Pontificis commendatur. Ordinis quadam incrementa, ejusdemque in Hungariam propagandi spes leta affulget. Situs Tartariae, gentis feri mores, & in Christianos captivos crudelitas recensentur.

### CAPUT I.

*Prima Redemptio captivorum in Tartariam destinatur.*



Uspicatis utcumque domi rebus foras versae sunt curae. Jam inde ab ingressu nostro in Austriam vellicabat animos nostros tritissima conditio captivorum sub immani barbarorum tyrannide gementium. Nihil itaque non egimus, ut primam Redemptionem quantocyus auspicaremur; nam cum Redemptio captivorum sit primarium Sacrae Religionis nostrae Institutum, primas etiam sibi curas vendicavit: Hinc factum est, ut Religiosi nostri, qui sub idem tempus vix habebant, unde vitam sustentarent, habuerint tamen, unde captivos redimerent, quod ego nunc ex ordine describere aggredior.

II. P. Maurus, ut erat studio fervidus, & ad quoscunque labores promptus, hanc sibi anno superiore, ut suo loco retulimus, demandatam provinciam calente animo arripuit. Conquistis

Cura ad exhibendam primam Redemptionem.

Oblationes Sodalitatis S. Crucis Dominarum Redemptioni conceduntur.

1690. igitur undecunque facultatibus ad primam se accinxit expediendam captivorum Redemptionem; cui maturandae multum contulerant oblationes, quas Augustissima Imperatrix ELEONORA, a nobilissima Crucigerarum Sodalitate collectas, priorum quidem anno ad fundum nostri coenobii coemendum, hoc autem anno P. Mauri sagaci industriam Redemptioni captivorum deputaverat, quod etiamnum non sine grandi Redemptionis subsidio fieri assolet. Optima sane Imperatrix & utrobique de Ordine nostro non vulgariter merita, quae cum ad esse concurrisset, nunc etiam dedit, unde operari liceret.

Ex Hispania  
missi veniunt  
Religiosi.

III. Interim V. Idus Sextilis ex Hispania missi Viennam pervenere P. Josephus ab Angelis & Fr. Michael ab Assumptione. Diaconus hic, ut tyronum educationi praesesset, ac eosdem postea in Philosophicis & Theologicis disciplinis erudiret: ille ut Ordinem nostrum per Germaniam, & Poloniam primus sub Vicarii Generalis nomine gubernaret, utpotè qui missus fuerat, ut res Ordinis in hisce Regionibus Majoris ac Generalis Ministri nomine ac vice cum plena potestate moderaretur: at Commissarii Generalis nuncupatio deinceps justas ob causas praevaluit. Sed revertamur ad id, unde modicè digressi sumus.

Redemptio in  
Tartaria  
describitur.

IV. Igitur postquam P. Maurus firmiter decrevisset, Redemptionis aleam quantocyus tentare, primò in consultationem venit, quomodo & qualiter prima, quae norma esset caeterarum, executioni mandanda foret Redemptio Captivorum? Cardo praecipuus quaestionis in eo versabatur: an ultra Taurunum sive Belgradum, quod praesidium ante biennium ferè Caesareis armis occupatum fuerat, Turcia esset adeunda, an verò ulterius progrediendum, & ipsa Tartaria hujus negotii causa petenda? Postremum iter Patres consonis suffragiis praetulerant, hac potissimum ratione ducti, quòd fama vulgante didicerint, contagiosam luem per provincias Turcarum Imperatori subjectas latè grassari, quae non modò Redemptioni longas moras & impedimenta objicere, verum etiam gravissima damna, nec minora pericula producere potuisset, cum tamen apud Tartaros nihil horum metuendum occurreret. Decretum itaque fuit, ut Pater per Poloniam in Tartariam contenderet, aut Camenecum peteret, quod praesidium ad Poloniae limites situm sub idem tempus Turcico parebat Imperio, ubi etiam paulò antè P. Michael a S. Maria primus captivorum in Polonia Redemptor semel, iterumque haud infeliciter Redemptionis negotium absolverat. Profecturo igitur in Poloniam Patri Mauro ipse quoque P. Josephus ab Angelis Commissarius Generalis sese comitem adjunxit, partim ut ex officio suo Ordinis principia in illo regno lustraret, partim etiam ut collatis consiliis captivorum saluti opportunius prospiceret. Explorandus nimirum prius erat status miserorum, & modus indagandus, qui in futuris Redemptionibus servari deberet; prudentis est enim omnes rerum circumstantias prius sollicitè discutere, antequam operi manus admoveatur.

Quia pestis in  
Tursia

In Poloniam  
iter instituitur  
ex causis.

V. Hoc

V. Hoc propositum continuò insinuatur Augustissimo LEO-  
 POLDO Imperatori, com meatûs litteræ expetuntur (salvum  
 conductum vocant) quæ Cæsarea Auctoritate fidem facerent de  
 pientissimæ expeditionis, itinerisque causa. Imperator intelle-  
 ctô nostrorum propositô non solùm propensa voluntate eorum  
 precibus annuit, litterasque expediri mandavit, verùm etiam de  
 Redemptionis studio sibi suisque gratulatus pium eorum propo-  
 situm majorem in modum commendavit, inò ex suo ærario in  
 hujus Redemptionis subsidium trecentos florenos liberalissimè  
 contribuit; quibus Serenissimus JOSEPHUS Romanorum &  
 Hungarorum Rex, Augustissimi Genitoris pietatem æmulatus,  
 alios ducentos addidit, & ELEONORA Augusta Mater florenos  
 quinque ac septuaginta submisit. Cæterùm quamvis futura Re-  
 demptio per omnes urbis & suburbiorum Ecclesias promulgata  
 fuisset, & Sacri Oratores ardente dictione fidelium corda ad con-  
 tribuenda subsidia inflammâssent, fructus tamen expectationi mi-  
 nimè respondit; cùm alii insolitam rei novitatem sterili admira-  
 tione exciperent, alii verò non putarent Patrem Redemptorem  
 tam citò se itineri commissurum: at postquàm ejus discessus in-  
 notuisset, plures pro facultatibus suis in Redemptionis pium opus  
 sua contulère subsidia, idque jam post Patris discessum. In arce  
 Pragensi apud S. Benedictum, quod est Templum Patrum Cleri-  
 corum Regularium S. Pauli Apostoli, pridem ante adventum no-  
 strum instituta fuerat Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis capti-  
 vorum Sodalitas, per Domûs illius Præpositum Florentium Dü-  
 ring, quæ pro Redemptione captivorum e collectitiis eleemosy-  
 nis centum florenos transmitit. Omnibûs proinde pecuniariis  
 subsidiis, tum quæ P. Maurus priore anno conquiverat, tum  
 quæ paulò ante discessum suum consecutus fuerat, in unum col-  
 lectis prodierunt mille & octingenti floreni. Hæc nimirum indi-  
 cari oportebat, ut simul patefieret, quàm tenui sumptu grandis  
 & operosa expeditio suscepta sit, ac de cæteris Redemptionibus  
 aliquando suscipiendis prudens judicium formari possit; ut intel-  
 ligant omnes, quàm magna molimina paucis sumptibus, si indu-  
 stria accedat, perfici valeant.

VI. Illis in Poloniam abiturientibus P. Joanni a S. Augusti-  
 no interim ulterior Redemptionis procuratio demandata fuit, ut  
 si quas proximè acquisiturus esset ad eundem finem eleemosynas,  
 eas celeriter Leopolim in Poloniam Trapezitarum operâ transmit-  
 teret. Septima igitur die mensis Septembris anni currentis no-  
 nagesimi in pervigilio videlicet Natæ Deiparæ Virginis felici fau-  
 stoque omine P. Josephus ab Angelis Commissarius Generalis,  
 cùm nondum per mensem Viennæ substitisset, & P. Maurus a  
 Conceptione, tunc solùm pro Viennensi Cœnobiolo captivorum  
 designatus Redemptor Poloniam versus in viam se dederunt, nec  
 toto viginti dierum itinere exacto salvi & incolumes Leopolim at-  
 tigerunt, ubi primum Ordinis Cœnobiolum in illo Regno, ut re-  
 tulimus, non ita pridem surrexerat. Aberat tunc temporis P.  
 Michaël a S. Maria Redemptor captivorum in Polonia, qui peracta

1690.

Imperatori si-  
gnificatur ex-  
peditio.

Subsidia.

Tenuis Re-  
demptionis  
facultas.

Leopolim  
pergunt.

Alia recurre  
in subsidia  
restituere  
Redemptionis

1690. paucis abhinc mensibus Cameniaci Redemptione Stanislaviae novi cœnobii fundamenta moliebatur pii Fundatoris munificentia invitatus.

In Leoninos  
permutatur  
pecunia.

VII. Nostri porrò Leopolum delati didicerunt, aurum & argentum in Germania signatum a Tartaris, qui ejus usum nondum admiserunt, aut prorsus non recipi, aut certè non aliter, quàm ejus valore multum imminuto. Aureus tunc nummus tribus duntaxat & dimidiò florenò commutabatur, quod tamen pretium postea ubique terrarum in majus auctum fuit. Inde P. Mauro necessitas imponebatur omnem pecuniam in leoninos permutandi, quorum unus ea in regione quinque ac triginta notrantes grossos conficit; cum enim hæc moneta inter Tartaros Turcasque sit receptissima, ad captivorum etiam Redemptionem magis idonea censebatur. Ast quoniam illo tempore etiam hujus monetæ magna erat in Regno penuria, remedium attulit Admodum Reverendus P. Bonifacia Ordinis Clericorum Regularium Theatinorum Commissarius Apostolicus & Collegii Pontificii Præpositus, qui omnem Redemptionis pecuniam currenti monetâ in Leoninos, quod desiderabatur, commutavit. Hòc negotiò feliciter tractò P. Maurus, relicto Leopoli P. Josephò ab Angelis, ut ex officio cœnobium visitaret, Stanislaviam ad P. Michaëlem perrexit, initoque cum eo consilio nihil in medium adferri potuit, neque excogitari, cui securè inniterentur. Utrique proinde visum fuit duos nuntios Turcici & Tartarici idiomatis gnaros, unum Cameniacum, alterum in Tartariam Budziakensem præmittere, qui securitatis ac salvi conductus litteras impetrarent, & præterea patriam, conditionem & statum captivorum explorarent, eaque omnia distinctè P. Mauro referrent. Horum alter, qui Cameniacum missus fuerat, jam mense Novembris inde reversus nuntiavit, nullum ibi de gente Germanorum reperiri captivum. Alterum itaque nuntium longius profectum, & tardius reversurum præstolari oportuit.

Nuntii mit-  
tuntur in  
Turciam &  
Tartariam.

## C A P U T II.

### *Amisio Belgradò alterius suboritur Redemptionis necessitas.*

Aliæ pecuniae  
in subsidium  
mittuntur  
Redemptioni.

I. **G**Randi interea solitudine P. Joannes Viennæ Redemptionis facultates curabat, qui de minutis suppellectilibus ad Redemptionem pertinentibus venditis, aliisque propria industriâ conquisitis eleemosynis & oblationibus supralaudatæ Sodalitatis Nobilium Crucigerarum, quæ ad decimam quartam mensis Septembris Anniversariam Exaltationis ejusdem salutiferi Ligni Solemnitatem obiverant, demum quatuor & quadraginta supra ducentos florenos Rhenenses conflavit, eosque collybisticis schedulis, ut jussus fuerat, P. Mauro in Poloniam transmisit.

II. Post paucos dies, exhaustò jam Redemptionis arario, Ka-

Kalendis videlicet Octobris non dubiâ famâ vulgatum est, Belgradum a Turcis obsidione premi, arcem atrociter verberari, & latos hostibus per mœnium ruinas patere hiatus; eo namque tempore Cæsareus in Hungaria Exercitus, ut majori periculo occurreret, totus in defendenda Transilvania occupabatur, cui Tœkelius insidias struebat. Dux Croyus octavâ ejusdem mensis Octobris manè inter septimam & octavam diei horam Belgradum, cujus Præfectura ei commissa fuerat, appulit, ibidemque tria millia, ducentos, ac viginti milites propugnatores, copiosam annonam, & armamentarium rebûs necessariis copiosè instructum reperit, ut proindè animum in proposito hujus Præsidiî tuendi obfirmaret, præcipuè cum videret, damna, quæ hostis per octiduum hujus obsidionis urbi intulisset, non esse admodum magni momenti, neque obsidionem propter ingruens hyemis frigus, quod Turcæ impatientissimè ferunt, ultra mensem durare posse. Unde, ut Cæsarem de statu Præsidiî, per litteras edoceret, a meridie ad scribendam epistolam confedit, quam cum ferè jam perfecisset, eamque expeditô nuntiô Viennam mittere destinasset, circa horam quartam intellexit, in turri, quæ plumbea dicitur, immane incendium exortum, sed militari manu brevè rursus consopitum fuisse. Vix ille ab hoc terrore respiraverat, dum (ecce tibi) post exiguum temporis intervallum horribilis fragor in arce emerfit, cujus concussione urbs tota contremuit: igne siquidem in pyrii pulveris conditorium illato funestum spectaculum exortum est: saxa in altum excussa ubique circumvolitant, pulvis & fumus visum eripit, terra aëri permiscetur, ædes concidunt, propugnacula unâ cum æneis machinis subsidunt, solo æquantur mœnia, excubitores in stationibus suis vivi sepeliuntur: mille atque centum milites in ordinibus constituti, ut in omni eventu hostium invasioni obsisterent, partim petrarum & lapidum fragminibus concussi, partim discerpti pereunt. Omnis præterea annona corrupta, & triginta millia librarum nitrati pulveris in fumum abivère. Audaciores nonnulli e Turcis, talia coram intuentes, arcem irrumpere tentaverunt, sed plerique a saxis ruentibus, aut volantibus malè accepti & contriti sunt, cæteri autem sociorum strage cautiores effecti, quòd igneos cuniculos latere suspicarentur, irruptionem distulerunt. Interim nostri tempus nacti sunt ad tutiora sese transferendi; qui cum se longiori defensionis impares, & plerosque milites extinctos cernerent, plures quàm sexcenti cum primis Ducibus barbaræ lanienæ naviculis cervices subdixerunt, & adverso flumine in Hungariam remeârunt; alii pauci nando ab infidis undis salutem fortunamque suam quærere satius duxerunt, quàm in rebus desperatis obniti. Cæteri, qui resistere præsumperunt, ab irato victore contrucidati sunt. Fama imprimis vulgaverat, ignivomam globi machinam ex hosticis castris in nitrati pulveris turrim dejectam adeò horribili stragi causam dedisse: certius alii divinârunt, qui dixerunt, a proditoribus quibusdam exteris ignem funalem nitrati pulveris conditorio admotum fuisse; nam eadem die, quâ hæc

1690.

Belgradum  
obsidetur &  
perditur.

1690. acciderant, observati sunt quidam subleſtæ fidei milites ad Turcarum caſtra transfugiſſe, qui non pridem ad Philippoburgum ejurata prioris militiæ fide Cæſareis acceſſerant. Hoſtes Turcæ, qui tam nobile Præſidium nullò ferè negotiò interceperunt, præter laceros muros, & ſuper rudera proſtratos lapidum acervos (annonam ſiquidem, & cætera, quæ in Præſidio cupiditatem irritare potuiſſent, vorax flamma conſumpſit) conſecuti ſunt centum currulia tormenta, & aliquot centenſos milites Chriſtianos, quos in miſerabilem ſervitutem abſtraxerunt.

Conſultatur  
de altera Bel-  
gradi facien-  
da Redem-  
ptione.

III. His eliberandis magis neceſſaria videbatur noſtrorum opera, ſed in tam remotas plagas progreſſa Redemptio haud facillè revocari valebat; ſumptus enim, qui itu, reditùque expendendi erant, Redemptionis peculium magnoperè accidiffent, imò diſceſſus iſte inconstantiæ aut doli ſuſpicionem inter illos populos generâſſet, ad quos nuntii miſſi jam fuerant. In hac tam calamitoſa rerum facie P. Joannes a S. Auguſtino pro tempore Redemptionis Procurator Viennæ anxius, mœſtitiâque obrutus Eminentiffimum Cardinalem Kolloniczium acceſſit, conſilium ab eodem flagitaturus. Quærit itaque, quid agendum? quæve via? aut quò modò miſeris illis ad Belgradum ab hoſte captis ſubveniendum cenſeret? Pecuniam omnem uſque ad ultimum teruncium a P. Mauro in Tartariam deportatam fuiſſe, ab inope autem, & cum ſuis initiis adhuc colluctante conventu ne tantillum extundi poſſe, quò unus alterve ex tot captivis redimatur. Cardinalis pari mœrore conſectus, tum ex celeberrimi Præſidii jaſtura, cujus ante biennium & menſem unum expugnatio Chriſtianiſ tanto ſanguine ſteterat, tum ob miſerorum captivorum triſtiſſimam ſortem, Patrem tamen erigere & conſolari, omnem ſuam opem offerre, eumque ad ſpem in DEUM accendere cœpit, pollicitus, Divinum auxilium rebus deploratis adfuturum; ſuaſit nihilominùs, urgeret pro viribus Redemptionis negotium, conferret ſtadium, imploraret ditiorum beneficentiam; neceſſarium enim eſſe, ut altera Belgradum expediatur Redemptio, quæ afflictorum captivorum libertati proſpiceretur. Has inter ſolicitudines annus hujus ſæculi nonageſimus evolutus eſt felicioris principio, quàm fine. Aliquæ tamen eleemoſynæ in ipſo labentis anni exodio P. Joannis induſtriâ in futuram Belgradi Redemptionem conquiſitæ fuerunt.

### C A P U T III.

1691. P. Maurus Tartariam ingreditur, ibidèmq̃ ſedecim captivos redimit.

P. Maurus  
in Tartariam  
iter movet.

I. SEquitur annus Redemptionis ſalutiferæ milleſimus ſexcentefimus nonageſimus primus. Eo tempore, quo P. Joannes omnem curam & induſtriam Viennæ exeruit, ut opem captivis Chriſtianiſ recenti ſervitute apud Belgradum oppreſſis un-

undecunque emendicaret; P. Maurus ineunte Januario adhuc Stanislaoviæ in Polonia hærebat, ibidemque reditum missi ab se in Tartariam nuncii anxie & avidè præstolabatur; sed cum ille ne in Februario quidem compareret, nihil ulterius cunctandum ratus statuit die septima ejusdem mensis in ipso scilicet S. P. N. JOANNIS de MATTA Sacri nostri Ordinis Fundatoris pervigilio, e sacra luce boni ominis auspiciis captans, & longioris moræ pertæsus (charitas enim urgebat illum) laborioso institutæ expeditionis itineri se committere, in Divini Numinis bonitatem, providentiâque confisus: Ut tamen pericula caveret, quæ humanitûs ei accidere poterant, cum regionum diversarum confinia transituro latrociniis plerumque infecta loca occurrant, securitatis ergò duos in suam societatem assumpsit milites, custodes simul & duces hujus itineris futuros. Post biduum non admodum longâ viâ emensâ *Snyatinum* pervenit, quod postremum est Ruffiæ, quâ Moldaviam attingit, Præsidium. Inde vicinam ingressurus Moldaviam remisit ad propria dictis duobus militibus, *Snyatini* quatuor alios milites equestres (*Baranellos* ibi nominant) viarum probè gnaros a loci Præfecto impetravit; quos commendabat conjugum, liberorum & penatium amor: ut proinde se tutò eis credere potuerit, alioquin enim haud immeritò timendum erat, ne & ipsi custodes nulla obstricti necessitudine officium prævaricando in latrones subito transmutarentur eò nocentiores, quò erat occasio pronior, & intima saltus solitudo, spissaque nemora ad vastum parricidii facinus patrandum, tegendumque magis opportuna.

II. Stabat P. Maurus jam in procinctu, ut cum suis militibus iter ingrederetur, dum, ecce tibi! adest tandem alter ille nuncius ante trimestre in Tartariam missus, & pridem jam desideratus, qui tamen re infecta & sine ullius certitudinis relatione advenit, causatus, a Moldavis sibi vetitum fuisse Tartariæ ingressum ob sinistras suspiciones, & severissimas pœnas iis propositas, qui limites transgredi præsumpissent. His tamen minimè perterritus Pater spem & fiduciam in DEUM collocavit, relictâque semitâ communi, planaque, ut insidiantium latronum tendiculas eluderet, per avia & devia, per montes, & solitudines, per inaccesos denique tesquorum saltus fugienti similior, quàm proficiscenti iter prosecutus est, donec *Bockovinum* nemus latrociniis & frequenti cæde infame superâsset, inde secundum montium crepidines viam legens ad desolatum monasterium *Soczaviza* dictum, & Præsidii titulò a paucis Polonis militibus infessum pervenit, ubi alter adhuc ex consilio Præfecti, quòd via plurimis esset erroribus obnoxia, pro itineris duce miles assumi debuit. Noctu tandem *Zolkam* (nomen est alterius monasterii a Polonis occupati, qui pulsîs Schismaticis Græcorum monachis, illud in præsentis belli usum tumultuario opere munierant) feliciter tenuerunt. Hic quia non amplius tot loca, latronibus infecta occurrebant, missio concessa quatuor Snyatensibus militibus, unicus *Zolkenis* pridie adlectus Patrem Redemptorem *Soczavam* tutè conduxit.

1691.

Milites custodes assumit.

Cautela in milite custode.

Alter nuntius re infecta occurrit.

Bockovina fl. va.

Soczaviza.

Zolka.

Soczawa.

1691.

Civitas hæc ad *Seretum* amnem non inconcinna, Principum Moldaviæ quondam Sedes, ubi octodecim omninò visebantur Tempia elegantis structuræ, & alia veteris opulentia non pauca vestigia. Totum hunc tractum Rex Poloniæ non ità pridem victoricibus armis occupaverat, ut Ottomanicæ Portæ vectigalem hic imperantem Dynastam in officio contineret, eique frenum injiceret, & ab inferendis damnis coerceret. Haud procul indè aberat amplissimum Armeni ritûs cœnobium, quod fugatis pariter Schismaticis monachis, egestisque fossis, & superstructis aggeribus quingentis ferè sub uno Præfecto militibus tutam præbuit stationem. Loci Præfectus, etsi Lutheri sectæ addictus, mira tamen comitate, ac benevolentia, quâ major ab heterodoxo sperari vix potuisset, P. Redemptorem excepit, quicum familiariter congressus, postquam illi causam adventûs sui exposuisset, cœpit de modo consultare, quò in ditiones Moldavici reguli tutò penetraret. Præfectus piò Redemptionis Institutò insigniter delectatus Patri significavit, sibi cum Moldavis arcanum intercedere tractatum, vi cujus ultro citroque admittebantur comeatûs litteræ binis stipatæ militibus, ut hac ratione gentem inter utramque, Moldavos scilicet & Polonos, commercium non obstante bellorum diffidio sartum, tectumque permaneret. Acceptis mox a Præfecto hujusmodi litteris P. Redemptor duobus comitatus militibus *Jassum* contendit, ubi sub idem planè tempus Moldavorum Princeps residebat; quò cum post triduum feliciter pervenisset, Præfectique litteras exhibuisset, urbem ingredi est permissus. Quem ibidem Reverendus P. Franciscus Antonius Rensius Missionarius Apostolicus ex Ordine Minorum omnibus religiosæ urbanitatis officiis hospitio excepit, eidemque post aliquot dierum intervallum conciliato procerum & aulicorum favore, apud quos gratia & auctoritate plurimum valebat, faciliorem ad Principis affatus aditum impetravit. Incredibile autem dictu est, quantâ benevolentia Princeps P. Redemptorem sit complexus, cujus etiam studia cæteri quoque aulæ proceres, quamvis Græcorum schismati addicti, atque adeò nativò odio a Latinis alieni, egregiè sunt æmulati, utpotè, qui & ipsi omni officiorum genere dictum P. Redemptorem impensè excoluerunt; siquidem intellectâ causâ adventûs ejus singuli certatim suos Patri obtulerunt favores, consilia, officia & patrocinia, quinimò eum frequenter ad domesticas dapes benigne adhibuerunt.

Litteras securitatis impetra.

*Jassum*.

Hospes benevolè recipiunt.

Princeps Moldaviæ favet Redemptioni.

III. Serio jam itaque de expediendo Redemptionis negotio agere cœperunt: ipse etiam P. Redemptor tam secundis auspiciis erectus nulli pepercit industriæ, ut res maturius ad optatum finem perduceret, cujus desideria cum Principi minimè essent obscura, nuntium confestim ad Governatorem Falezyni (urbs est Moldaviæ in confiniis Tartariæ) expedivit, eidemque præcepit, ut ibidem Patri tutum pararet hospitium, & militem excubitorum adjungeret, qui eum in Tartariam comitaretur, datis insuper ad *Beegmurzam* Tartariæ Budziakensis Prætores litteris, quas ipse Princeps in Patris favorem & commendationem conceperat.

His



His ille subsidiis munitus, additque viae ductore & comite Falczynum est profectus; quò delatus apud Governatorem urbis commodum hospitium invenit, omnemque benevolentiam expertus fuit. Governator, Principis sui literis prae-munitus exemplo militem ad Beegmurzam ablegavit, qui commendatitiam Vainvodae epistolam deferens postulavit, ut P. Redemptori tutè Tartariam ingredi, egredique liceret. Beegmurza his visis non solum propensa voluntate annuit, verum etiam periculis occursurus P. Redemptorem moneri iussit, ut sui Ordinis vesti talarem Turcarum tunicam, *Casian* vocant, superinduceret, ne novitas ob belli praesentis imaginem & utriusque gentis dissidia populum irritaret, aut ipse propter exterum hospitem admissum, apud Magnam Sultanum, cui regio est vestigalis, in quaestionem, crimenque vocaretur. Neque huic monito se difficilem praebuit P. Maurus, sed prudentissimum consilium amplexus gentis illius vestes assumpsit. Quamvis autem Falczynum a Beegmurzae Praetoris residentia aliquot duntaxat horarum itinere distet, pro majori tamen securitate Pater plures sibi adlegit socios, cives nimirum, & incolas urbis Falczynensis, quorum unus gente Tartarus, alter Turca, duo praeterea mercatores Armeni, & totidem Moldavi censebantur. Insuper omnem pecuniam apud ipsum Governatorem Falczyni deposuit, ut securius iter proficeretur, & praedonum incursum minus expavesceret; nam ut vulgato circumfertur proverbio: *Cantabit vacuus coram latrone viator.* Plures autem socios sibi adjunxit, partim, ut haberet, qui interpretis officio fungerentur, partim, ut si Tartari iniquum aliquid in se machinarentur, id non sine diversarum gentium testibus perpetrari posset.

IV. His itaque sociis stipatus vicinam ingressus Tartariam apud civem Graecum, secta Schismaticum, divertit. Inde ad negotium conversus, cujus gratia advenerat, coepit captivos Christianos inquirere, eorumque capita licitari. Verum ut cognovit Tartaros mancipia sua nimis aucto pretio proponere, & obfirmatis animis ne teruncium quidem de assignato trecentorum Leoninorum lytro remittere, ille fraudulentam eorum intentionem facile odoratus est, qui ex pacto in id incumbabant, ut omne inter mancipia discrimen tollerent, & aequali pretio juvenem atque senem, debilem ac sanum distraherent, quo mercimonii genere nihil iniquius excogitari potuisset. Sed cum in medio eorum se constitutum cerneret, noluit altercari cum illis, quorum malevolentissimam voluntatem ex ungue perspectam habebat: ut itaque eorum vafritiem aequali monetâ exsolveret, finxit, ac si nihil eorum, quae ab ipsis agebantur, intelligeret, & sub praetextu Falczynum pro pecuniis redeundi, se cautè subduxit, eorumque manibus celeriter elapsus in locum tutum se recepit. Hoc erat cum vulpibus vulpinari, & cum Cretibus cretizare. Falczynum reversus Governatori artes Tartarorum liquidò exposuit, & subdola gentis astutiam detexit. Significavit ei quoque, se in animum induxisse, cum ob immodicum pretium Redemptio in hoc loco perfici non potuerit, interpretem suum Smielem seu Ismaelem

1691.

Falczynum  
pergit Pater.

Mutato ve-  
stibus Patri  
licet Tarta-  
riam ingredi.

Negotio  
Redemptio-  
nis ob fraudes  
Tartarorum  
retardatur.

Cautè se sub-  
ducit Pater.

1691. (quæ civitas est Tartariæ ad Istri ostia extructa) ablegare, ut de captivorum pretio cognosceret, ac edoceret; sibi namque innotuisse, eo in loco frequentius convenire Tartaros, ut suos vendant captivos mercatoribus e Turcia & Tartaria confluentibus. Hæc Patris intentio non mansit ita secreta, quin ejus notitia celeriter ad Beegmurzam Prætorem penetraret, qui cum reliquis Tartaris eam manifestasset, cœperunt & illi avaritiâ uri, & nummos aliis invidere, quos ipsi præripere poterant. Itaque nuntium ad P. Redemptorem miserunt, qui eundem denuò ad captivorum emptionem hortaretur, ac etiam invitaret, polliciti, se promptos esse ad mancipia æquiore pretio vendenda, proût ipsi quidem visum fuerit. Ad hæc respondit P. Maurus, se non abhorreere tractatus, si eorum animi taliter essent comparati: consentirent tamen in alteram conditionem: ut nimirum illi, cum quibus conventum fuerit, acceptâ syngraphâ, vel testibus de pacto pretio Falczynum captivos adducerent, ibidemque promptam lytri solutionem perciperent. Tartari hanc conditionem minimè sunt aspernati, sed eam gratanter etiam admiserunt. Ingressus igitur altera vice P. Redemptor in Tartariam sexdecim utriusque sexûs delegit mancipia, ac tractatus de eisdem cum diversis Tartaris celeriter & feliciter confecit, quinquaginta Leoninis, aut si captivus floridioris fuisset ætatis & viribus pollens, nonaginta ad summum pro uno capite stipulatis. Quibus tandem Falczynum, juxta conventionem cum Tartaris initam, deductis, P. Redemptor eodem præsentate Gubernatore ac testibus aliis pro singulis captivis lytrum ex assè persolvit. Pro his sexdecim captivis expendit Pater mille centum & quadraginta novem Leoninos, quæ pecunia, si primæ licitationi assensisset, ne quinque quidem mancipiis redimendis suffecisset. Sic clavus clavum pellit, sic ars eluditur arte, ut veteri adagiò dici solet. Hæc verò summa mille centum & quadraginta novem Leoninorum in nostra moneta bis mille & decem florenos cum quadraginta quinque cruciferis constituit; Leoninus enim, ut alibi monuimus, triginta quinque grossos nostrates pretiò exæquat.

V. Acta sunt hæc in Budziakenfi Tartaria duodecimâ mensis Maji annò currentis sæculi nonagesimò primò. Quæ si maturò judiciò trutinentur, clarè patebit, hos captivos leviore, quò fieri poterat, pretiò libertatem affecutos fuisse. Prudentissimè itaque in hoc negotio processit P. Redemptor; nam si prima hac vice altius persolvisset pretium, omnibus futuris Redemptionibus præjudicium intulisset, nec ullus successorum ejus facile & absque multa contentione, strepitùque minuere pretium potuisset. Redempti majore ex parte milites e Cæsareo Exercitu fuerunt, viridis plerique ætatis, & inter vigesimum octavum ac quinquagesimum annum circumscriptæ. Gente Austriaci omninò decem, duo Silesii, cæterorum unus ex Hungaria, alter ex Bohemia, tertius ex Styria, quartus demùm ex Marchionatu Brandeburgico erat oriundus. Hos inter quatuor numerabantur mulieres non sinè Redemptionis fœnore uterum ferentes: illæ absque omni

Invitatur Pater iterum a Tartaris ad redimendum captivos.

Novam Tartaris injungit conditionem.

Consentiunt conditioni.

Exsolvuntur captivi.

Pretium captivorum.

Utilis præcautio.

Mulieres 4. prægnantes.

du-

dubio a Tartaris oppressæ conceperant, atque adeò in censu fedeficim personarum viginti animas constituebant: hinc eadem Redemptione nascituris prolibus ingenti saluti fuit, quòd etsi patre infideli ortæ cum matre tamen fideli priùs sint redemptæ, quàm natæ. Non noverunt patrem vernæ, immò nec videre potuerunt gravem infestumque alias Dominum, unà cum captivo materni uteri ergastulò exempti jugò, quod non solum in temporale, sed multò magis in spirituale lucrum eorum cessit; omnes enim quatuor in matris utero redempti, salutarî regenerationis lavacrò ab originis sordibus abluti, Christianæ libertati plenissimè sunt restituti, quibus Redemptionis beneficium singulare non ad corporis modò, verùm etiam ad animæ salutem mirificè profuit, fervili cum suis posteris alioquin conditione in lucem prodituri, & damnabilem gentis sectam amplexaturi.

Corporum & animarum Redemptione.

VI. Hæc luculentâ & præsertim spirituali prædâ lætus P. Redemptor ex residua in viaticum servata pecunia tres carros & septem equos, aliâque in longum iter necessaria comparavit, quibus redemptos commodè in patriam reduceret. Vehiculis illi in via alternatim usi fuerunt, prout nimirum lassitudo imperabat, aut suborta ex incessu pedestri debilitas exigebat, habita semper ratione prægnantium mulierum, quæ a molesto eundi labore excusatæ manebant. Hilares demùm omnes sunt profecti cum exultatione benedicentes Dominum, qui *redemit eos de manu inimici, & de regionibus congregavit eos.*

Reditus in patriam.

#### C A P U T IV.

*Solicitudo, impensumque studium ad redimendos captivos, qui Belgradi in servitutem inciderant.*

I. **N**ostri intereà Viennæ omnem sollicitudinem adhibebant, ut captivis Christianis Belgradi altera quantocyùs Redemptione opitularentur. P. Joannes constitutus Redemptionis Procurator senili corpori nullam indulgit requiem, ut Optimates & opulentiores cives ad misericordiam & beneficentiam permoveret, nec non ad subsidia pauperibus in tam urgente necessitate conferenda stimulare. Inter hæc subortum murmur ora hominum latè occupaverat, quod non tantùm per vulgaria capita, sed etiam apud Nobiles & Magistratus, ubi rariùs absunt assentatores, qui religiosorum hominum vitam, morésque perversis censuris perstringunt, quotidie magis diffundebatur. Sugillabant nimirum nostram in re præcipua, & cujus gratiâ nobis facultas Viennæ cœnobium condendi fuisset concessa, negligentiam, ut ipsis quidem videbatur, ac desidiam: vociferabantur illi, ubi nunc esset Redemptionis Institutum, quod tantis hætenùs laudibus extuleramus? Jactabant in nos imperitè illud tritum proverbium: *Hic Rhodus, hic Salta.* Dicebantque admirabundis similes: ut quid adhuc Belgradi detinentur captivi? Ità nimirum quædam pars

Cura redimendorum captivorum.

Obretractio nostris censatur.

1691. hominum argutabatur, quibus obtusior erat oculorum acies, quam ut intimum rerum statum inspicere possent. His tamen convitiis identidem lacebamus. Ceterum pii & innocentes Patres, cum talia audirent, ea sibi pro exercitio patientiae & augmento meritorum a DEO immissa credebant, hominum diſteria mira mansuetudine ac silentio dissimulabant, quasi nihil eorum audivissent, quae aures eorum tam ingrato strepitu quotidie verberabant. Existimabant, recte nimirum, statui religioso minimè convenire, in altercationum & jurgiorum certamina cum nobilioribus praesertim descendere, sed obfirmato contra omnia adversa animo studebant factis & operibus imputatam nobis socordiae notam abolere, gnari nimirum, opera esse verbis longè efficaciora; cum de rebus quibusdam colloqui, idem sit, ac collidi.

Nostris occasio patientiae.

Com. Harrachia nostram innocentiam protegit.

Petrarch. apud Sur. 22. Jul. de S. Maria Magdal.

II. Excellentissima Domina Comes Harrachia, cui res tota melius perspecta fuerat, & quam etiam nobiscum haec mordacium linguarum grando acriter impetiverat, ægerrimè tulit hujusmodi insectationes: Quamvis autem & ipsa propter Ordinem nostrum saepius morsicantibus verbis vapulaverit, & ut cum Petrarcha loquar, *aquantis verbera linguas* crebrius pertulerit, strenuè tamen nostram causam semper tueri perrexit, & interdum etiam non sine bile imprudentes & dicaculos blaterones retudit, asserens, Patres nullius socordiae in Redemptionis officio jure infimulari posse, utpote, qui nunc eodem tempore in Tartaria captivorum Redemptioni incumberent, ad quam perficiendam unus e Patribus prius jam abivisset, quam Belgradum obsidione cinctum esset. Certum autem haberent, & indubitatum, nisi ejus discessus ante Belgradi expugnationem contigisset, eum rectà viâ huc profecturum fuisse. Addebat etiam residuos Patres non vulgari sollicitudine de captivis Belgradensibus tangi, sed nummîs destitui, quibus eorum libertatem evincerent. Agerent proinde & aculeatorum verborum locò potius pecunias viritim conferrent, pollicita, eos citò visuros, quòd Patres Trinitarii nullos subterfugiant labores, nec absterreantur periculis, nec vitæ discrimina metuant, quae Redemptoribus captivorum inter barbaros raro vel nunquam desunt. Verum, ut fieri solet, illi, quibus volupè erat nostris obrectare, nullam cupiditatem praeseferebant, ad novae Redemptionis expeditionem quidpiam contribuendi.

Pro captivis ipsa eleemosynas colligit.

Liber in hunc finem.

III. Nec his redargutionibus contenta, ut erat Mater Optima, & Sacri nostri Ordinis studiosissima, ipsa quoque vias & modos rimata est, quibus pauperum captivorum Redemptionem urgeret, & promoveret; etenim quod de tantæ dignitatis & excellentiae Domina sperari vix unquam potuisset, coepit ipsa pro redimendis captivis a nobilibus personis eleemosynas corrogare, atque in hunc finem, charitatis ardore abrepta, librum confecit hac inscriptione praenotatum: *Regestum eleemosynarum pro Christianorum captivorum militum ad Belgradum Redemptione Anno 1691.* Primum in eo libro folium typicis formis excusum & bicolori Ordinis Cruce insignitum fideles ad ferenda Redemptionis subsidia invitabat; cujus folii diversa exemplaria in obvios quosque disper-

tiebatur. Huic inscriptioni patrio idiomate sequentia verba, in- 1691.  
 signem pietatem spirantia, subtexit: *Quia Patribus Discalceatis Or-*  
*dinis Sanctissimæ TRINITATIS innotuit, Belgradi plurimos teneri ca-*  
*ptivos, qui a Turcis miserabiliter affliguntur, quibus prædicti Patres*  
*juxta professionem suam ad imitationem Domini Nostri JESU CHRIS-*  
*TI, qui in mundum venit, ut nos sanguine suo pretioso redimeret,*  
*subvenire cupiunt, adeoque pro illis liberandis Belgradum proficisci vo-*  
*lunt, idè omnes fideles Christiani rogantur, ut suis elemosynis in par-*  
*tem hujus pii operis venire velint, æternæ vitæ præmiis pro hac sua*  
*liberalitate a Divina clementia remunerandi.* Hæc rubrâ cerâ & Or-  
 dinis sigillô firmata visibantur. In alterum folium Excellentissi-  
 ma Domina Comes propria manu, Germano pariter idiomate, scri-  
 psit, quæ sequuntur: *Rogantur omnes pii Christiani, ut tribuant e-*  
*leemosynam pro pauperibus captivis. DEUS ipsis pro eadem in æterni-*  
*tate propitiis erit: recipio universas elemosynas, & Patres Trinitarios*  
*ex officio Ordinis eorum ablegabo ad redimendos captivos eosdem. In*  
*cujus fidem subscribo, & Sigillum meum imprimo. Johanna Lamberg*  
*Com. de Harrach.* Sequentibus in foliis ordine alphabetico scripta  
 leguntur omnium ferè Principum, Comitum, Baronum & Nobi-  
 lium utriusque sexûs nomina: in latere autem annotatum con-  
 spicitur quid, live quantum a singulis perceperit subsidii, vel elee-  
 mosynarum. Plerique tamen ne modicum (ut rebantur) quod  
 dederant, vanæ gloriæ ventô abriperetur, vel ut secreta apud  
 DEUM merita conservarent, datam elemosynam inscribi no-  
 luerunt, aut sinè nomine inscripserunt. Quorundam etiam no-  
 mina ipsa Excellentissima Domina Comes, ut meminerat, sua  
 manu inscripsit: ea verò sunt universim triginta super centum  
 quemadmodum in eodem libro hæc omnia latè etiamnum vide-  
 ri possunt.

IV. Hunc *Album* ipsamet produxit in Nobilium conventicu-  
 lis, & lusibus tum privatis, tum publicis, in quibus illa universos  
 tam verbis, quàm exemplis efficaciter cohortata est ad conferen-  
 da pro captivorum Redemptione subsidia, dictitans non posse o-  
 pes fructuosius impendi, nec majore scœnore, aut meritô erogari,  
 quàm si in tam exquisitum pietatis officium profundantur. Atque  
 hac arte haud contemnendam vim pecuniarum collegit. Patres  
 quòque diebûs solemnioribûs ad præcipuas Urbis Ecclesias stipis  
 colligendæ gratiâ præ foribus stabant, præsertim ante januam  
 Cathedralis Basilicæ S. Stephani, & ante ostia Parochialium Eccle-  
 siarum, videlicet, Beatæ MARIÆ Virginis PP. Benedictinorum ad  
 Scotos, & S. Michaëlis Arch-Angeli Clericorum Regularium S.  
 Pauli Apostoli, quos Barnabitas appellant. Idem factum est an-  
 te portas aliarum præcipuarum Urbis Ecclesiarum, videlicet, Do-  
 mûs Professæ Societatis JESU, Patrum Minorum Conventualium,  
 & S. Hieronymi Minorum strictioris observantiæ. Offiatim quo-  
 que nostri mendicabant per mercatorum pergulas, Trapezitarum  
 collegia & civium opulentiorum ædes: omnem denique adhibue-  
 runt conatum & curam, ut ad proximam alteram Belgradi Re-  
 demptionem pro captivis militibus copiosa lytra colligerent.

Liber etiam  
 in Nobilium  
 conventibus  
 producitur.

Nostri pro  
 captivis men-  
 dicant.

1691.

P. Commissarius Generalis ex Polonia Viennam revertitur.

P. Joannem Redemptorem constituit pro captivis ad Belgradum.

V. Hæc dum ingenti fervore peraguntur, P. Josephus ab Angelis Commissarius Generalis, qui ab Autumno anni præteriti per totam hyemem usque ad hujus anni vernale tempus in Polonia commoratus fuerat, lustratis in illo regno Ordinis nostri novis domiciliis & rebûs, quantum in illis primordiis fieri poterat, ac Regioni Religionique expediebat, benè constitutis Viennam Austriæ reversus est, eadem pariter ordinaturus, quæ ad Regularis vitæ stabilimentum, incrementumque Ordinis conducere viderentur. Ubi de omnibus, quæ sub idem tempus acciderant, edoctus, postquam intellexisset, quòd P. Maurus adhuc in Tartaria versaretur, nec tam citò rediturus speraretur, incongruum judicabat, si eidem ex longinquo & difficili itinere reduci, laboribusque exhausto alteram e vestigio Redemptionem injungeret. Cùm verò Belgradensium captivorum necessitas moram aut dilationem non ferret, ei pro hac tantùm vice in munere Redemptoris succenturiavit P. Joannem a S. Augustino. Is hòc officio auctoratus manum protinùs operi admovit, collectisque pecuniis, quas undique corrogarat, invenit bis mille, sexcentos, & septuaginta florenos, quibus instructus ingrediente mense Maji, eo planè tempore, quò P. Maurus primam Redemptionem ad coronidem perduxerat, ipse, ut secundam auspicaretur, fratribus Ordinis Viennæ solemnè more valedicens iter in Hungariam aggressus est, ut ex Cæsareis militibus nuper ad Belgradum captis, quotquot posset, in libertatem vindicaret. Cùm autem media tantæ expeditioni longè imparia afferret, spem suam omnem & fiduciam in DEUM Omnipotentem collocare, nullique labori, aut industriæ, quâ cœptum opus proveheret, parcere decrevit.

## CAPUT V.

### *Primæ Redemptionis in Urbem adventus.*

P. Maurus eam redemptionem redit ex Tartaria.

Principi Moldaviæ pro beneficiis gratias rependit.

I. **S**upèrest, ut priorem Redemptionem ex Budziakeni Tartaria jamjam redeuntem comitemur, & tot votis desideratam læti excipiamus: P. Maurus, ut mense Majò Falczyni apud Moldavos lytrum pro captivis redemptis ritè persolvit, in Austriam reversurus decrevit per Poloniam, quà venerat, licèt circuitu longiore utendum esset, tritos jam calles repetere; nam brevior & compendiosior per Transilvaniam & Hungariam via, ut in rerum principiis usüvenire consuevit, ei hætenùs incomperta fuerat. Cæterùm antequàm ulteriori itineri se committeret, Jassij priùs Moldaviæ Principem, a quo, ut superiùs memoravi, tot favores acceperat, officiosè convenit, eidemque redemptos Christianos velut luculentos protectionis ipsius fructus exhibuit, & gratias, quas potuit maximas, persolvit, quòd sua benignitate Redemptionis successum tam strenuè promovisset. Princeps autem de suis tam benè collocatis beneficiis sibi impendiò gratulatus P. Redemptorem cum redemptis suis peramanter est complexus, ulte-

ulteriorésque pro temporis opportunitate favores pollicitus. 1691.  
Præterea in præsentem necessitatem quosdam addidit ex suis militibus, qui Patrem ac redemptos per Moldaviam proficiscentes usque ad Poloniæ limites tutarentur, & ne aliquid jure desiderare possent, eis etiam gratuita liberalitate pro viatico copiosam annonam suppeditavit. Ditiones tandem Serenissimi Regis Poloniarum ingressi confiniorum Præfectos sunt obtestati, ut in locum discedentium Moldavorum Polonos milites substituerent, cum itineris ratio id postuleret, ut nunc terras frequentissimis Tartarorum excursionibus obnoxias, & a latronum insidiis infames peragrarent. Acceptis itaque Polonis militibus reliquum iter per Sarmatiam feliciter sunt emensi, superatâque Silesiâ & Moraviâ salvi demùm & incolumes Viennam Austriæ pervenerunt, ibidemque ingenti hominum applausu & lætitiâ, quibus simile spectaculum nunquam adhuc obtigerat, excepti fuerunt.

Alia beneficia Principis Moldaviæ.

Moldavis militibus succedunt Poloni.

Viennam veniunt.

Solemnis Processio.

II. Antiquo more in sacro Ordine nostro receptum est, ut sub adventum alicujus Redemptionis solemnis supplicatio in gratiarum actionem pro felici ejusdem successu instituat. Idipsum quoque in hac occasione observare placuit. Decima proinde mensis Junii splendida Processio e nostro Cœnobio ad Cathedralam S. Stephani Proto-Martyris Basilicam hoc ordine prodit: Illustrissimus Dominus Aloysius Thomas comes ab Harrach, ac Hæres Excellentissimi nostri Comitis candidum Redemptionis vexillum prætulit, cujus utrinque latus stipabant Comites Wallensteinius & Auersbergius, ut in Hispania id a Magnatibus fieri solet, quæ tamen consuetudo, postquam aliquamdiu apud nos in Germania retenta fuisset, brevi postea rursus expiravit. Vexillum sequebantur redempti, Sacri Ordinis nostri Scapulari, ut vocant, in pectore ornati: hos Musicorum chorus excipiebat, festivo tubarum tympanorumque clangore aëra demulcens: tubicinum vestigia premebant diversi status & conditionis homines bini & bini incedentes. Ponè illos præfulgebat crux nostri Monasterii totum cœnobarum agmen post se trahens. Pompam hanc Religiosam claudebat magna promiscuæ plebis multitudo. In Cathedrali Templo post devotas gratiarum actiones, consuetasque preces DEO persolutas summa omnes animorum exultatione & admiratione ad proprios lares reversi fuerunt. Hunc finem habuit prima in Germania captivorum Redemptio ad majorem Sanctissimæ TRINITATIS Honorem & Gloriam. Faxit DEUS ad plurium quoque animarum salutem.

III. Demùm in patenti folio ad reliquorum notitiam nomina, ætas, patria, sexus, status & lytrum redemptorum triplici idioma, Latino nimirum, Teutonicò & Hispanò formis typicis descripta, & veluti Redemptionis primitiæ Excellentissimo Domino Ferdinando Bonaventuræ Comiti Harrachio, ejusque Læstissimæ Conjugi Joannæ e Comitibus de Lamberg singularibus factoribus nostris reverenti cultu consecrata fuerunt. Dedicationem harum tabularum P. Josephus ab Angelis per Germaniam & Poloniam Commissarius Generalis non sine ingenii

Typis in tabella publicatur Redemptio.

Dedicatus Comitibus ab Harrach.

1691. laude concepit, in qua, ut gratitudinem nostram toti terrarum orbi redderet testatissimam, disertis verbis edixit, cum nec centum nobis linguae, oraque centum sufficiant, quibus nostram observantiam erga Illustrissimam Domum aptè exprimeremus, se tamen ob tres illas plumas, quae Gentilitia signa Harrachianae Familiae exornant, a tribus duntaxat linguis subsidium mutuasse, ut earum opera quaecumque hostimentum pro tot acceptis beneficiis Nobilissimae Stirpi referret. Addidit deinde eorundem benevolentiam jam ab illo tempore, quò Comes apud CAROLUM II. Hispaniae Regem Caesaris nomine Legatione functus est, indefessò studio collimasse ad Sanctissimae TRINITATIS Gloriam, Familiaeque nostrae Trinitariae exaltationem, & fortunatissimam captivorum libertatem, dictosque captivos nunc tandem, postquam diu sed incassum haecenus ex infidelium ergastulis continuo suspirantes clamitassent: *Converte Domine captivitatem nostram, sicut torrens in Austro*, ad oras Austriacas ipsorum Comitum ope, ac patrociniò secundis pervenisse auspiciis. Hos namque captivos, qui *euntes ibant, & flebant* ad miseram videlicet servitutum, nunc libertatem consecutos *venientes venire cum exultatione*. Idipsum asseruit Felicissimum omen a nomine Comitum HARRACH desumptum praesagiisse, utpote quod in litera H, quae est aspirationis nota, incipit, desinitque, atque adeò suspiria & lamenta captivorum haud obscure exprimit. Subjunxit deinde: sicut nomen istud compeditorum luctifonos gemitus & singultus indicaverat, ita nunc idipsum eorundem libertatem & praesentem incolumitatem significare: Gentilitiis verò tribus illis Plumis, quibus Harrachiorum Comitum insignia ornantur, Redemptores Trinitarios ad barbara usque Regna & ad imas ibidem ergastulorum latebras provolantes denotari dixit. Postremò Scutum Excellentissimae Dominae Conjugis, scalam ex Scaligerorum, & canes ex Lambergiorum Comitum familiis retinens adumbrare mysticam illam scalam & ascendentes ac descendentes Angelos; nec non fidelitatem Nobilissimae Stirpis erga suos Principes per Canes symbolicè depictos exhibere. Quae Pater Josephus non minus eleganter, quam argutè ad exprimendam devinctissimam gratitudinem nostram in illa Redemptionis tabella delineavit.

Psalm. 126.  
v. 4.

Ibidem v. 6.

## C A P U T VI.

*Secundae Redemptionis ad Belgradum difficilis negotiatio, quae memorabili ad Salankamenum praelio & Turcarum clade difficilior evadit.*

Redemptio-  
nis negotia-  
tio.

I. **A**ltera, quae eodem tempore sub manibus erat ad Belgradum Redemptio, suos quoque naeta est labores, impedimenta & remoras. Prima cura fuit P. Joanni a S. Augustino, ut Bel-



Belgradæ cum Turcis de captivorum pretio liberè ac rationabiliter transigeret: qua de causa utprimùm Petri Varadinum pervenit, Belgradum ad ejusdem castri gubernatorem nuncium expedit, qui eidem adventus sui causam significaret, velle se nimirùm aliquos pretiò Christianos captivos coëmere, adeoque litteras salvi conductus esse necessarias, quatenus in aliena terra securè versari, suæque expeditionis negotia tractare posset. Turcæ, qui ferè omnes lucris avidè inhiant, ab initio quidem haud difficulter assensu sunt: sed cùm eis deinde suspicio successisset, ne fortassis sub specioso Redemptionis titulo astutus aliquis explorator subreperet, qui res eorum & apparatus militares ad Archi-Strategum Cæsarei Exercitus perscriberet, tantò majore eorum detrimento, quantò ferventiùs illi novum cum Christianis prælium urgebant, datam licentiam revocârunt, omnémque accedendi spem P. Redemptori ademerunt; nam cùm se ad ineundam pugnam magnis animis pararent, verebantur, ne admisso homine extero consilia eorum proderentur. Difficilè dictu est, quanti mœroris causa bono Patri hæc inexpectata repulsa fuerit, qui cùm totus charitatis ignibûs flagraret, atque adeò miseris captivis quàm celerrimè succurrere desideraret, nihil tristius sibi accidere posse putavit, quàm tali frustratione ab executione adeò sancti operis arceri.

Turcæ negant  
ingressum,  
cui prius as-  
senserant.

II. Anxiè præstolanti, & vias omnes rimanti, quibûs ad præfixum sibi scopum perveniret, spem fecit tandem eò pertinendi appropinquantis quotidie magis Cæsarei Exercitus potentia. Postquam autem nostræ Legiones ad Salankamenum (tenue id est Sclavoniæ oppidum circa Danubii ripas, & haud procul Belgrado situm) castra metatæ fuissent, P. Joannes eisdem se adjunxit, & reliquam æstatem sub pellibus exegit, in omnem interim Redemptionis conficiendæ occasionem intentus. Ad decimam nonam mensis Augusti utrûmque inter Exercitum exarsit cruentissimum prælium, quò inchoatò P. Redemptor in vicinum se recepit colliculum pro Cæsaris victoria DEUM Exercituum exoraturus. Ibidem in genua provolutus, & subinde in pedes erectus elatò CHRISTI Crucifixi parvò simulacrò Cæsareis armis benedixit: barbaris autem hostibus contentissimâ, qua potuit, voce, spiritûque maledixit, ac sinè intermissione inter horrifonos ænearum machinarum ex utraque parte reboantium fragores, concurrentium armorum ferales strepitus, densumque nitrati pulveris fumum ardenti devotione Psalmum septuagesimum octavum, qui incipit: *DEUS venerunt gentes in hereditatem tuam, polluerunt Templum sanctum tuum*, ad finem usque non semel decantavit; donec tandem cæsis, profligatis, & ad internecionem deletis Turcarum copiis Germanorum Exercitui plena, consummatâque victoria cessisset.

Præstolatus  
Cæsaris Ex-  
ercitum.

Conflictus ad  
Salankame-  
num.

Patris preces.

Psal. 78.

Victoria.

III. Depugnatum hîc fuit tanta utrinque animorum contentione, quanta vix unquam aliàs toto hujus Turcici belli tempore. Et imprimis quidem, cùm hostis loci opportunitate fretus, ac munitissimâs præterea castris vallatus, Germanorum acies

Fussor hujus  
conflictus des-  
criptio.

1691. ignivomis tormentis impunè lacefferet, & interdum totos etiam ordines discerperet, res nostræ ab exitio non multum aberant: incredibili namque ante pugnam velocitate Ottomanicæ phalanges, numero nostris multo superiores, Cæsareum Exercitum itinere anteverterant, & montis cacumina ingenti suorum præsidio jam occupaverant: nostri verò per inferiorem vallem inter angustias conclusi, & veluti indagine deprehensi extremo versabantur in periculo omnem amittendi annonam, quod si evenisset eis, aut sicca morte occumbendum, aut certè quibûsvis etiam pacis vita redimenda fuisset. Inessum pariter collem barbari fossis & vallibus ita muniverant, ut non castra, sed urbem figere viderentur; ut proinde multi non solum de victoria, verum etiam de fuga quòque crederent esse conclamatum. Cæterum strenuissimus Princeps Ludovicus Badensis, supremus Cæsarei Exercitus Polemarchus, ne Laureatæ hucusque Christianorum cohortes tanto dedecore afficerentur, perfecit tandem, ut agmen Dinnevaldicum, quod a cætero exercitu separatum Turcis a tergo insidiabatur, densissima virgulta perrumperet, & opportuno adhuc tempore Odrysia castra ex alia parte invaderet. Quò factò vita, spiritusque Cæsareis copiis redivit, quæ redintegratâ pugna ingenti furore, rabieque in obstitentes Turcas grassatæ eorum aggeres uno impetu perfregerunt, valla transcenderunt, & effusa missilium ignium grandine hosticas acies adeò perculerunt, ut extemplo in apertam fugam sese conjecerint; quamvis ne in fuga quidem salutem invenerint, aliis a rapidi Danubii vorticibus haustis, aliis ab insequenti levioris armaturæ milite immanissimè trucidatis. Et ut Iliadem in nuce complectar; Turcæ tantâ ferocia in hoc loco a Germanis, priore sua clade exulceratis, concisi fuerunt, quantam, qui oculis non subiecit, mente omnino concipere non potest. Periére in hoc conflictu unâ cum Supremo Duce Vezirio hostium viginti quinque millia, præter illos, qui a præterfluente Danubio absorpti madidas animas in circum transmiserunt. Inde nostri ad legendas manubias conversi reperere centum quinquaginta quatuor tormenta ænea, & tredecim caudas equinas, bellicorum Magistratum insignia, plurima quoque aureis filis picta vexilla, omnia tentoria cum annona, cæteroque commeatu universo.

Post victoriâ  
difficilior facta  
Redemptio.

IV. Partâ hâc tam insigni omnibusque sæculis memorandâ victoriâ P. Joannes sese rursus victrici Exercitui aggregavit, & in Cæsareis castris tantisper dimoratus ad finem suæ expeditionis anhelavit. Et ille quidem in omnes se partes versabat, ut vota sua in effectum deduceret, sed irritò prorsus conatu; vanum siquidem videbatur sperare, Turcas nuperâ clade impendio exacerbatos, quidquam concessuros, quod promovendæ captivorum libertati obstetricaretur. Eadem hæc strages accessum Belgradensem reddebat difficiliorē, Turcâsque vindictæ desiderio inflammatos magis etiam adversus Christianos captivos exasperabat. Ineunte Autumno Cæsaris Exercitus recreandis corporibus in hybernas stationes paulatim dilapsus est: Pater verò cum ei spes nulla afful-

affulgeret hosticam tellurem ingrediendi, Segedinum concessit, quod est ad marginem præterfluentis Tibisci præmunitum oppidum, æquali distantia Belgradò & Temesiâ sejunctum, eò consilio, ut ibi Turcica mancipia a Cæsareis militibus conquireret, vel pretiò coëmeret, & ea postmodum pro Christianis captivis Belgradi aut Temesiæ permutaret. Molesta sanè difficilisque negotiatio, nec nisi grandis temporis dispendiò perficienda, tum ob innumeros stellationatus, qui in hujusmodi emptionibus & permutationibus intercedere solent, tum ob periculum ipsa Turcica mancipia brevi amittendi, cum non facile divinari valeat, an non aliquis eorum agnita Christianæ Fidei veritate impium Mahometis dogma esset execraturus, & Catholicæ Ecclesiæ accessurus, quem deinceps permutare minimè liceret. Explorandum præterea erat, quinam Turcicorum mancipiorum in terra sua consanguineos, aut amicos haberent opulentos, & quinam Christianum pro Turca commutare possent, aut vellent, ac denique quibus facultatibus essent instructi. Omnes istæ, ut rationabilis foret commutatio, attendendæ fuerant conditiones, quibus legitimè perspectis constaret emptionis & permutationis contractus, res quidem multis subjecta erroribus, & non unâ utrinque conjuncta cum doli suspicione. Præterea si meditata commutatio non succederet, quid ageret ille cum Turcico mancipio? cum talis merx inter Christianos haud facile emptorem inveniatur; nulla enim inter nostros viget hujusmodi servitus. Quis itaque pecuniam suam pro tribolari aliquo Turca expenderet? præcipuè cum satis constet, hanc hominum faciem inertæ & rapacitati studere, clandestinam semper fugam meditari, ac denique sordidissimis moribus horrere: ut proinde Redemptionis facultates tam gravibus periculis minimè sint exponendæ. Verùm de his me satis dixisse autumo. Quis tandem fuerit hujus secundæ Redemptionis exitus, annò sequenti, quò plenè maturuit, velut in loco proprio exponemus.

1691.

Segedinum se recipit Paten.

Difficultas in emendis Turcicis mancipiis, iisque pro Christianis commutandis.

## CAPUT VII.

### Temporis & rerum status domi forisque.

I. **H**òc eòdem, in quem commentamur, annò sæculi hujus primò & nonagesimò Kalendis Februarii extremum clausit diem ALEXANDER VIII. Pontifex Maximus, cum sedisset annò unò, tribus mensibus, & diebus viginti quatuor, cui ad XVI. Kalendas Augusti Purpuratorum Patrum suffragiò legitimè suffectus est Antonius Cardinalis Pignatellus Neapolitanus, INNOCENTIUS XII. compellatus, Pontifex, si Ecclesiastici Principis dotes spectentur, qua liberalitate erga inopes, quâ potentissimi Nepotismi abdicatione, cui caro & sanguis non revelavit, clarâ Nominis Famâ nulli suorum Antecessorum secundus.

II. Interim funestò, ac minimè ambiguò nunciò vulgatur, Hungariam, eidemque vicinam Croatiam pestilenti lue ex Turcarum

Obitus ALEXANDRI VIII. Pontif. & electio INNOCENTII XII.

Math. cap. 16. v. 17.

Pestis in suis initiis sopitur.

1691. Regionibus orta (hòc enim morbò gentes istæ perpetim conflantur) miserè vexari, nec paucos ejus virulentiam contabuisse, quò malò nostris initiis, & in illud regnum expeditionibus ingens ponebatur obstaculum. Ne autem contagio, ut fieri solet, latius serperet, Pesthinò exclusi fuerunt omnes, quotquot cis, aut trans Danubium advenerant. Insuper ad Austriæ limites constituti sunt Præfecti, qui advenis invigilarent, & suspectos procul arcerent. His tamen nihil obstantibus, quorundam fortè incurià tres propè Viennam viculi eòdem incendiò afflati fuerunt, quamvis ignotum maneat, quomodò lues ad eos penetraverit. Quinimò undecimâ Septembris quidam Budà veniens urbem irrepfit, secumque contagiosum morbum attulit; periculi magnitudine attoniti Viennenses grandi sollicitudine cœperunt remedia circumspicere, quibus exitialem infirmitatem e suo gremio expellerent. Continuo itaque coguntur sanitatis consilia, discutitur natura epidemici mali, eidemque profligando idonea pharmaca, & antidota conficiuntur. Demùm observatum est, ab undecima Septembris usque ad quartam & vigesimam Decembris intra urbem novem, in suburbiis verò tredecim, & denique in tribus propè Viennam oppidis viginti quinque, universim septem ac quadraginta numero personas hòc malò correptas fuisse, e quorum numero sex nigris pustulis scatebant, alii simul etiam malignis febribus æstuabant, alii autem, quadraginta circiter fuisse dicuntur, anthraces in corpore gerebant. Hoc malum sex & triginta personas e medio sustulit, cæteri verò undecim efficacissimis alexipharmacis haustum virus evomuerunt. Octoginta prætereà ob suspicionem ejusdem morbi a reliquorum convictu segregati, & nonaginta alii ob eandem morbi causam propriis domiciliis arctè inclusi incolumes evaserunt. His ita sapienter dispositis malum Divinâ opitulante gratiâ in ipsa radice suffocatum fuit, urbs verò pristinam recuperavit commerciorum securitatem.

Tertia disponitur Redemptio.

III. Inter hæc P. Maurus captivorum Redemptor prima jam confecta Redemptione, dum secunda nunc per P. Joannem in Hungaria urgetur, tertiæ manum admovere cœpit. Hanc ut celerius inchoaret, indefessa sollicitudine media conquirit, quibus pia sua desideria proveheret. Dissolutis in prima Redemptione contractis nominibus, venumdati quoque curribus & equis, quos e Tartaria nuper ad usum captivorum redemptorum adduxerat, aliquam inde pecuniam conflavit, eamque propriis & quotidianis industriis, quantum fieri poterat, augere studuit. Atque in hunc finem arcam diversarum clavium, ut Ordinis nostri Statuta imperant, fabricari jussit, quatenus Redemptionis peculium in eadem deinceps asservaretur. Peculiarem quoque librum comparavit, in quo eleemosynas annotavit, quas a piorum liberalitate corrogaverat, ut pro recepta Sacræ Religionis nostræ consuetudine, tantò expeditius de illis suo tempore rationem reddere valeret.

Constitut. cap. 1. §. 1. N. 7.

Situs domus Viennensis alia cœmpta domo proferenditur.

IV. Quamvis autem præcipuæ curæ nostræ ad Redemptionem captivorum, veluti primum & potissimum Ordinis Institutum

diri-

dirigerentur, faventibus tamen Superis Domus Viennensis structura surgebat in dies magis, & ad fastigium properabat, tantam brevi tempore amplitudinem adeptam, ut plus quam viginti Religiosis commodum hospitium, fidamque stationem praeberet. Neque hic stetit Divinae Benedictionis largitas, sed adjecit nobis tantas opes, quibus contiguam insuper domum, quae nobis non unum impedimentum objecerat, unam cum adjuncto horto emere, eamque paratam pecuniam a civicis oneribus redimere potuimus: Unde factum est, ut situs noster tum ex nuperna Augustissimi Caesaris donatione, tum ex recenter coemptae domus accessione, cujus vicinia religiosae modestiae, & professae rerum mundanarum fugae haud parvum discrimen minitabatur, formidinemque plurium aliarum molestiarum injiciebat, e tribus lateribus aequali spatio a se invicem disjunctis procurrens, & in latam planitiem se diffundens multo amplior evaderet, quo nihil spirituali mentis tranquillitati conservandae utilius excogitari, aut desiderari potuit.

V. Hanc in uberem messem novi quoque ex Hispania denuo advenerunt operarii: decimam septimam videlicet mensis Julii P. Martinus ab Ascensione, eo fine, ut tyrones Viennae institueret; verum cum non multo post in Polonia ejus industria desideraretur, & P. Josephus a Jesu Maria quartam Octobris hoc eodem anno Viennam attigisset, huic commissa fuit tyronum institutio, ille vero in Poloniam, quod vocabatur, migravit, ubi Philosophiam & Theologiam Fratribus legit; Superioris munere subinde functus, Leopoli extra moenia anno saeculi hujus sexto & nonagesimo coenobium ad S. Nicolai templum condidit, & post triennium Cameniaci in Praesidio non ita pridem a Turcis recepto pro Patribus Polonis alterum Ordinis conventum instituit. Postliminio ad nos reversus non minore diligentia in nostris regionibus laboravit, semel Ministri Viennensis, & quinquies Commissarii Generalis munere perfunctus, ut suis in annis commemorabimus.

VI. Hoc eodem anno labentis saeculi primo & nonagesimo Excell. Domina Joanna Comes Harrachia, nostra plurimis titulis Mater, ut sempiternam sui, suaeque Familiae in Ecclesia nostra Viennensi Memoriam relinqueret, quotidianam cum perpetuo censu, sive stipendio Sacrificii Liturgiam fundavit, a Generali Definitorio nostro die decimam septimam Septembris hoc eodem anno admissam; absque hujus enim Senatibus facultate apud nos perpetuae obligationes coenobiis induci nequeunt. Equidem jam prius per aliquot annos in domestico ejus Sacello Sacrum Missae Officium quotidie celebraveramus, nova tamen hujus foundationis obligatione devincti promissimus, nos idipsum semper praestituros, quamdiu Sua Excellentia in carne mortali superstes foret. Ad extremum tandem anno millesimo septingentesimo nono eadem Foundationis memoria novo contractu, auctoque stipendio in perpetuum translata est ad ejusdem Nobilissimae Stirpis Viennae domesticum Sacellum in honorem Magnae DEI Matris Virginis

1691.

Ex Hispania  
rursus Patres  
adveniunt.

D. Com. Harrachia  
quotidianam  
dotas  
Missam.

1691. MARIÆ sub titulo sinè labe peccati originalis conceptæ eleganti schemate variisque marmoribus constructum. De omnibus autem istis extant legitima documenta in Archivo nostri Viennensis cœnobii, ubi asservantur ad successorum instructionem.

Viennæ studium litterarum.

Earum utilitas.

Seneca ad Lucillum.

Seneca ad Lucillum.

Constitut. cap. 36. §. 5. n. 1.

Psal. 110.

Ramen, in Paneg. pro rectoribus Scholæ cap. 8.

Ordinis Cæremoniale in Latinum idioma translatum typis datur.

VII. Quoniam verò ad promovendam DEI Gloriam bonæ litteræ plurimum conducunt; Virtus enim & Sapientia in singulis quidem benè constitutis Religionibus, præcipuè tamen in illis, quæ ex professo non sibi solum, sed etiam proximorum salutis vacant, sunt quasi duo oculi, vel si mavis, luminaria, sinè quibus Religio corpus est obscurum, & sæpe multa errorum caligine inquinatur, ut disertissimus Seneca apertissimè testatur, quando ad Lucillum de usu litterarum scribit: *Litteræ formant animum & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omit-tenda demonstrant, sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuum dirigunt cursum.* Ideò ut recentes plantulæ, per vitam spiritua-lem Sacro Ordini nostro insitæ, gravioribus disciplinæ erudirentur, earumque adminiculò in viros aliquando perfectos excre-scerent, P. Michaël ab Assumptione ex officio delectus est, qui eis-dem Philosophiam prælegeret. Hic itaque a Dialecticis institu-tionibus more majorum exorsus litteras cum virtute ita temperavit, ut quotidiani in studiis progressus virtutum incremento nihil officerent, & litterariæ exercitationes tepori in vita spirituali asyllum omne negarent. Id sanè Ordinis nostri statuta severissimis verbis inculcant. Scilicet ut Rex Prophetarum verissimè dixit: *Initium Sapientiæ timor Domini.* Eadem mens fuit Doctissimo Eamenio, qui in sua panegyri literas appellat *omnium fundamenta virtutum.*

VIII. Porrò cum hucusque Sacra nostra Discalceata Familia nullum præter Romanum in Italia & Septensem in Africa conventum extra Hispaniam habuisset, ipsi quoque cæremoniarum libri & Ecclesiasticorum Rituum codices Castellano duntaxat legebantur idiomate, quò solò hæc cœnobio plerumque utebantur; nunc autem eâ in exteris Nationes Numinis favore propagatâ necessitas emerit eosdem libros in Latialem, utpote omnibus gentibus in toto Christiano orbe communem sermonem, transferendi. Primas curarum partes sibi vindicavit illud volumen, quod ab Ordinis cæremoniis, quas in se complectitur, vulgatò vocabulò *Cæremoniale* dicitur, & jam tunc Latinis verbis descriptum habebatur. Cujus rei notitia cum ad nostrum P. Petrum a S. Michaële Majorem ac Generalem Ministrum pervenisset, Kalendis Decembris anni labentis de consensu nostri Definitorii publicò rescriptò mandavit P. Josepho ab Angelis per Germaniam & Poloniam ejus vices gerenti, ut Ordinis Cæremoniale denuò recognitum, approbatum, correctum, & ad normam Romani Cæremonialis aliarumque Declarationum a Sacra Rituum Congregatione recenter sancitarum elaboratum, aliis requisitis facultatibus obtentis Latiali sermone typis subjiceret; *quatenus pro Patribus & Fratribus Germanis & Polonis, ut Rescriptum sonat, Divinâ favente Gratiâ numero sufficienti accrescentibus in sacris & politicis cæremoniis secundum*

Sa-

*Sacræ nostræ Religionis usum imbuendis opus est.* Obsecrat demùm in eadem epistola universos prædictos Patres & Fratres amore paterno in Domino, ut omnes & singulas cæremonias maxima attentione & aviditate legere, recolere & addiscere studeant, quatenus in minimis instructi, quæ tamen in Divinis oculis magnum pondus habent, majora pro ingenti animarum suarum fructu & emolumento queant observare. Datîs Madriti die & annô memoratô, manu propria subscriptis, & Signô sui Officii munitis, nec non Secretarii manu firmatis & expeditis. Quibûs præsentem annum absolvimus, cætera juxta rerum ordinem profecuturi. 1691.

## C A P U T VIII.

*Ad tertiam proximè Redemptionem disponuntur media. Pars Viennensis Cænobii nostri perficitur, & inhabitatur. Summi Pontificis Indultu quedam dispensantur impedimenta circa tyrones ad Ordinis professionem recipiendos.*

I. **S**uccedit annus reparatæ salutis millesimus sexcentessimus nonagesimus secundus, qui Orbi Christiano Jubilæum attulit ex dispensatione ac Indultu INNOCENTII XII. circa finem prioris anni ad Apostolicam Cathedram evecti. Et ille quidem superiore jam anno referatis Ecclesiæ thesauris hanc gratiam veteri Romanorum Pontificum more Christicolis concesserat, ea tamen in Austria non prius promulgata fuit, quàm in principio hujus anni. Omnes itaque admoniti sunt, ut per injuncta pietatis opera tantum beneficium promereri studerent, & præcipuè *elemosynis peccata redimerent.* Unde factum fuit, ut plures pro Redemptione captivorum largas elemosynas certatim conferrent, firmissimè persuasi, se tantò certius a nexibus peccatorum suorum absolvendos, quantò munificentius ipsi Christianis captivis succurrerint, eosque a vinculis immanissimæ servitutis suis facultatibus eripuerint. Hac profusa multorum liberalitate erecti Patres spem conceperunt tertiam Redemptionem quantocyùs inchoandi, atque in hunc finem Ecclesias inter se partiti ante fores earum festis præsertim diebûs constiterunt, stipemque pro redimendis captivis suppliciter efflagitarunt. Præterea in parietibus templorum, teloniorum & publicarum officinarum capsellas, elemosynis corrogandis deputatas, affixerunt, ut devoti ubivis locorum occasionem invenirent suam erga DEUM & proximos charitatem demonstrandi. Erant tamen nonnulli, qui ad maturandum Redemptionis successum secreta subsidia transmitterent, ea ducti intentione, ut eorum liberalitas extra hominum conscientiam posita soli DEO pateret, & idcirco magis etiam placeret.

II. Successit deinde aliud haud contemnendum commodum; pestis enim, quæ jam suo terrore omnia latè compleverat, atque

1692.

Universale  
Jubilæum  
propter electum Pontificem.

Danielis cap.  
2. v. 8.

Pro tertia Redemptione  
ubique elemosynæ colliguntur.

Regiones a peste liberæ publicantur.

1692. trepidanti Austriae foedam depopulationem minitata fuerat, ultrò conquevit, & in distitas oras se proripiens Cæsareas ditiones ab omni metu absolvit. Hoc sicut universim tota Reipublicæ mirificè profuit, ita quoque Redemptionis negotia egregiè adjuvit, quæ alia ratione exerceri minimè valent, quàm diversarum Provinciarum peragratione, quarum aditum hujus mali timor hætenus obstruxerat, eúmque rursus suo discessu nunc aperuerat. III. siquidem Nonas Februarii Excelsi Regiminis Decretò per urbem voce præconis publicatum fuit, DEI benignitate minitantis pestiferæ contagionis malum desisse, atque adeò sublato epidemicæ luis metu & suspitione cuivis integrum esse ultrò citròque commeari, & commercia sua liberè ubique exercere.

Pars cœnobii nostri encœniatur.

III. Viennensis quoque nostri cœnobii ædificium non modica sensit incrementa; perfecta siquidem operis parte jam pro usu Religiosorum profabat culina & cœnaculum, ac præterea etiam viginti cellæ, quæ tota hac hyeme accensis fornacibus calefactæ, exsiccatæque fuerunt, ne noxius calcis odor futurorum inquilinorum valetudini incommodaret. VI. Idus Februarii in festo videlicet S. P. N. JOANNIS de MATTA Patriarchæ & Fundatoris nostri, quod hõc annò in feriam sextam inciderat, Excellentissimus Marchio Burgomainsius Catholicæ Majestatis ad Curiam Cæsaream Orator ad augendam hujus festi solemnitatem singulari affectu & benevolentia jussit in novo novi cœnobii nostri triclinio magnificentissimum parari convivium regalibus planè dapibus instructum, ut talibus encœniis locum initiaret. Ad hoc ille invitaverat primos, ac præcipuos Ordinis Benefactores, idque istò potissimum consilio, ut eosdem ad continuandam erga nos beneficentiam suaviter alliceret, donec & novum pariter Templum, & reliqua cœnobii fabrica perficeretur. Comparuere autem præter Eminentissimum Cardinalem Kolloniczium Celsissimus quoque Princeps Episcopus Viennensis, Excellentissimus Comes Harrachius, aliique complures primi Ordinis Magnates, ipso Excellentissimo Oratore munus Architriclini administrante. Nobilissimos hos convivas universim videre erat ingenti gaudiò, ac hilaritate delibutos, quòd cernerent adeò brevi temporis decursu tam nobilem magnamque fabricam surrexisse, quam illi deinde per otium attentè lustrabant, omniæque hypocausta perambulantes Architecti industriam majorem in modum commendabant. Sequenti Martiò sub ipsum Veris ingressum, id est, in festo S. Benedicti Abbatis, cum præviis experimentis satis jam compertum esset, novam cœnobii structuram tutò inhabitari posse, Religiosi nostri ad novas has cellas incolendas commigrarunt, veteri domicilio pro communibus domibus officinis deputatò.

Circa admittendos ad Ordinis Professionem impedimenta renoventur.

IV. Ex his angustiis eluctati laxius jam spatium nacti sumus, pluribusque in nostram sodalitatem admittendis locus vacabat; frequenter siquidem accedebant nonnulli singularis ingenii atque spei adolescentes, qui votis omnibus gremio Ordinis nostri inscribi desiderabant. Quamvis autem istis juxta Decretum



nostri Definitorii superius recitatum minimè obstitisset, si fortassis aliquibus impedimentis, quæ nostræ Constitutiones expriment, ubi de personis ad votorum sacramenta recipiendis tractant, obnoxii fuissent, nihilominus tamen, ut omne dubium tolleretur, & Professio ab hujuscemodi hominibus facta majorem firmitatem fortiretur, Sacra Congregatio, in qua Romæ Episcoporum ac Regularium causæ deciduntur, ad instantiam nostri Procuratoris Generalis in Curia Romana P. Petri a Jesu præfatum Decretum Apostolico Diplomate confirmandum censuit, in quo Summus Pontifex nostrarum Constitutionum severitatem sequentis formæ mitigavit:

1692.

## INNOCENTIUS PAPA XII.

### *Ad futuram rei memoriam.*

**E**Xponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Petrus a Jesu Procurator Generalis Congregationis Hispaniæ Fratrum Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis captivorum, quòd in Constitutionibus dictæ Congregationis a Felicis Recordationis Clemente Papa X. Prædecessore Nostro per quasdam suas in simili forma Brevis die prima Julii M. DC. LXXVI. expeditas Literas in forma specifica confirmatas cap. XLII. §. 2. ubi agitur de Personis ad habitum per Fratres ejusdem Congregationis gestari solitum non admitteendis, inter cætera disponitur hoc verborum tenore: *Nec etiam admittatur neophytus, nec qui descenderit per lineam rectam (in quolibet gradu) a Judeis, Hereticis, Mauris, vel Mauriscis, nec ullus cujus prædecessores per lineam etiam rectam, ac in quolibet gradu ob hæresis vel Judæismi, vel sectæ Mahometane crimina puniti fuerunt ab hæreticæ pravitatis Inquisitoribus. Quòd si aliquis ex dictis in hac Constitutione celans aliquod in præ-narratis impedimentis, Professionem fecerit apud nos, statim ac detegatur tale impedimentum, ejiciatur, quia Religio non præstat suum consensum ad talem professionem. Quapropter omnes in publico coram communitate moneantur antè receptionem habitus, & etiam antè Professionem, quod si habent aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, Professio (etiamsi fiat) invalida & nulla est, quamvis plurimis annis in Religione sint. Cum autem, sicut eadem expeditio subjungebat, præinserta Constitutio tempore, quò Congregatio hujusmodi in Hispania*

Sedis Apostolicæ  
Diploma.

1692. duntaxat reperiebatur, facta fuerit; nunc verò cum eadem Congregatio adjuvante Domino per Germaniam, Poloniam & alias Mundi partes propagetur, experientia compertum sit, Constitutionem prædictam extra Hispaniam, quoad descendentes ab hæreticis servari non posse. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportunè providere, & ut infra indulgere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ipsius Petri Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eum a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum & Regularium Præpositorum consilio, enuntiatam Constitutionem, quoad descendentes ab hæreticis tantum, tam quoad admissos, quam quoad admittendos, tam ad habitum, quam Professionem in præfata Religione Auctoritate Nostra Apostolica tenore præsentium moderamur; firma tamen remanente ipsa Constitutione quoad Hispaniam & Lusitaniam, ac salva semper in præmissis Auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes ipsas præsentis Litteras semper firmas, validas & efficaces &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die prima Martii M. DC. XCII. Pontificatus Nostri Annò Primò.

Dispensatio  
quoad descen-  
dentes ab hæ-  
reticis.

## C A P U T IX.

### *Ordinem in Hungariam propagandi spes affulget.*

I. **S**ecundissimis hætenus Divino munere successibus provecti ad majora etiam speranda animos erigebamus. Primum, quod spectaveramus, quando Austriam ingressi Viennensis Conventus fundamenta jeceramus, hoc erat, ut in Regnum Hungariæ, quam-

Desiderant  
Ordinem in  
Hungaria pro-  
pagari.

quamprimùm id fieri posset, Ordinis nostri colonias duceremus; cum enim hoc Regnum Turcarum ditionibus sit adeò vicinum, eorum quoque excursionibus frequentissimè infestatur, ut proinde uberem semper materiem suppeditet Redemptionis exercendæ. Eo autem tempore nobilissimum hoc Regnum Turcarum incolatu diu fœdatum Cæsaris armis quotidie magis expurgabatur, Thracibusque undequaque pulsis in Christianam libertatem vindicabatur: ut proinde si unquam aliud Religiosorum hominum operâ maximè indigeret, atque adeò pro ejus ingressu impetrando tot difficultates superandæ minimè occurrerent. Idipsum nobis priùs, sed nunc multò ferventiùs inculcaverat Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius cum aliis Ordini nostro meliùs affectis.

1692.

II. Opportunè sub idem tempus magnis florebat opibus in summa senectute (erat enim octogenariò major) D. Georgius Szechenius Metropolitanæ Strigoniensis Ecclesiæ Archi-Episcopus, Primas Regni Hungariæ, verusque Pater suæ patriæ. Hic eas opes, quas laudabili parsimoniâ, aliisque œconomicis industriis congregaverat, rursus in pias fundationes munifica liberalitate profundere solebat; utpotè, qui jam plures Religiosorum hominum Familias in hoc Regnum induxerat, largoque censu adjecto dotaverat. Huic itaque celeberrimo Archi-Præsuli Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius Sacrum Ordinem nostrum universæ quidem Reipublicæ Christianæ, ob Instituti sui præstantiam, utilem, sed Regno Hungariæ vel maximè necessarium cupiebat familiarius insinuare. Ut igitur ad talem tantumque virum nobis aditum patefaceret, litteras exaravit, easque Ordinis nostri commendatione refertas P. Josepho ab Angelis Commissario Generali Posonium deferendas tradidit, ubi sub idem tempus Archi-Episcopus ob tentatam valetudinem decumbebat. P. Josephus assumptò in suam societatem P. Maurò nullà interposità morâ eò cum litteris properavit (nec enim Vienna Posoniò plùs quàm unius diei itinere recedit) ut hanc Epistolam Archi-Episcopo propria manu porrigeret, simulque eundem de Ordinis Instituto ac vitæ ratione plenius edoceret.

Archi-Episcopo Strigoniensi commendatur Ordo.

III. Posonium appulsus confestim Archi-Episcopi alloquium expetivit, illudque facilè impetravit, ad ipsum statim conclave introductus, ubi Archi-Episcopus in lecto decumbebat. Hic ut erat moribus antiquis, & omnis fastus juratissimus osor, prisci-que candoris tenacissimus conspectis viris Religiosis non est passus debitam honoris observantiam sibi exhiberi, sed suo more illos crebriùs allocutus dixit: *Sedeatis, sedeatis, nullas mihi faciatis ceremonias.* Cujus jussioni ut Patres reverenter obtemperarent, dispositas juxta grabatum sellas occupaverunt. Tum P. Josephus ab Angelis suam facundè ac disertè legationem exorsus datas ab Eminentissimo Cardinali litteras porrexit; quas cum Archi-Episcopus attentè perlegisset, submissiori voce Patribus in hæc verba respondit: *Modò jam omnia sunt disposita.* Significare volens, tabulas sui testamenti jam esse conclusas. His dictis paulisper conticuit, & cum aliquamdiu meditabundo similis hæsisset, tandem

Ad alloquium admitti expetunt Legationem.

Responsio Archi-Episcopi.

1692. subjunxit : *Orate pro me, ut aliquot adhuc menses supervivam, faciam vobis aliquid : visitate me, dum Viennam venero.* Quibus auditis Archi-Episcopi dexteram demississimè sunt exosculati, ejusque Benedictione impetrata e vestigio Viennam se receperunt, ubi tum privatis, tum publicis totius Communitatis precibus Divinam Clementiam pro salute, & incolumitate praedicti Archi-Episcopi ardentissimè exorârunt.

Spes confir-  
matus.

IV. Enimverò pias Religiosorum preces pondus aliquod in Divino conspectu habuisse tunc demùm liquidò apparuit, quando supralaudatus Archi-Episcopus praeter omnium expectationem paulò post a languore convaluit, viribusque restauratis Viennam, quam adire constituerat, sospes intravit : cujus adventu vulgato P. Joannes a Cruce cum P. Michaële ab Assumptione Philosophiae Lectore ad eum se protinùs contulerunt, & post prima salutationis officia ei cordicùs de recuperata sanitate sunt gratulati. Inter loquendum, ut fit, cum de Ordinis in Hungariam introductione a nostris mentio injecta fuisset, Archi-Episcopus promissi sui memor usitatò suò modò in hæc verba prorupit : *Habete patientiam, habeo vos in corde meo.* His verbis Religiosi nostri confirmati spem concepère minimè dubiam, fore, ut Archi-Episcopus vita comite, ea quæ promiserat, sit cumulatissimè praestiturus.

Suaviter ean-  
dem fulciunt  
Comites Har-  
rachii.

V. Ut autem hæc erga Ordinem nostrum benevolentia in animo Archi-Episcopi profundiores radices ageret, Excellentissimus Comes noster Harrachius opportunitatem quæsit hac de causa eum conveniendi : quoniam verò id neque commodius, neque meliùs fieri poterat, quàm si ipse ad proprios Excellentissimi penates diverteret, paucis post diebus ab eodem Comite ad prandium invitatus fuit, cui etiam alii primi nominis Magnates, quorum erga nostrum Ordinem studia minimè erant obscura, aut ambigua, interfuerunt. Horâ solitâ comparet desideratissimus hospes, omnibusq; urbanæ comitatis indicis excipitur. Inter jucundas epulas, postquam varia, ut in hujuscemodi convivii fieri consuevit, in medium prolata fuissent, Comes tandem sermonis seriem ad Sacri Ordinis nostri Institutum, ejusque emolumenta in Christianam Rempublicam redundantia argutè detorsit. Alius ibi commendabat arctioris vitæ disciplinam, extollebat alius præclaram populi de hac Religione existimationem, præ reliquis tamen Excellentissima Domina Comes Harrachia, multis titulis Mater nostra, Familiam nostram impensius laudavit, eamque summis encomiis exornavit. Faventissimis auribus Archi-Episcopus hos sermones excepit, majorèque desiderio Ordinis nostri in Hungariam, cujus Regni decori & incremento mirificè studebat, introducendi exarsit, quem tantorum hominum suffragiis non solum laudabilem, utilèmq; verùm etiam Hungariæ Regno necessarium agnoverat.

Secunda vice  
Viennæ Ar-  
chi-Episco-  
pum acce-  
dunt.

VI. Elapsis subinde duobus diebus Religiosi nostri majori jam fiducia conceptâ Archi-Episcopum altera vice adierunt. Quos ut primùm conspexit, quin debitam reverentiam sibi exhiberi, aut illos vel paucula verba præfari sivist, ex plena cordis abundantia, ut

ut erat candidæ sinceritatis, sic eos more suo affatus est: *Habete patientiam! expectate usque ad Pascha; non timeatis! habeo vos in corde meo, totum meum affectum ad vos convertam; nam loquuntur benè de vobis.* Illa mulier de Harrach mihi mirabilia de vobis dixit. Hæc propria sunt ejus verba, quæ idcirco, ut sonabant, ad literam duxi referenda. Tam propensa Archi-Episcopi erga Ordinem nostrum voluntas prolixè ostendebat, eum a cœpto proposito non facilè destitutum: reliquum proindè erat, ut continuatîs precibûs ei longiorem mortalis vitæ usum a DEO efflagitarem. Interim autem spe bona nos lactarem, donec faventibûs Superis affectus iste in effectum esset proditurus, quod etiam suo tempore contigit, quò pariter ulteriorem hujus rei narrationem remittimus, & ad cætera hujus anni acta pertexenda convertimur.

1692.

## C A P U T X.

*Ad Belgradum & Temesvarinum tum pretiò, tum commutatione tres & viginti redimuntur captivi. Comoda ex permutatione captivorum subsequi solita, paucis expenduntur, aliæque ad hoc propositum spectantia referuntur.*

I. **T**EMPUS nos monet, ut tandem aliquando revisamus P. Joannem a S. Augustino jam in decimum mensem negotia secundæ Redemptionis sollicitè promoventem. Et ille quidem, ut superius annotavimus, Cæsaris castra secutus fuerat, atque ad Salankamenum opportunitatem aliquam captaverat Taurunum securè penetrandi, ibidèque Redemptionem Christianorum captivorum auspiciandi, sed cum se frustra conari intellexisset, & Imperatoris milites jam in hyberna distributos vidisset, Segedinum labente Autumno concessit, ubi apud Reverendos PP. Ordinis S. Francisci Minores strictioris observantiæ benevolum hospitium nactus totam illam hyemem exegit, & intereà, ut erat erga res spirituales insigniter affectus, mentem omnigenis virtutum exercitiis sollicitè excoluit, qui, licèt acta hujus Redemptionis parcè annotaverit, cum non exiguo Historiæ hujus damno, omnem semper fugitans vanæ gloriæ fumum, multa tamen in illo Religiosorum virorum contubernio, ut a memoria & ab ipsis met mihi, Segedini aliquando versanti, proditum est, reliquit virtutum exempla: orationibus assiduis & crebris jejuniis deditus matutinas etiam Laudes media nocte cum Patribus Franciscanis frequentare non desit. Interdiu ad curas Redemptionis conversas modos omnes, quibûs Christianis captivis subveniret, indagavit, & subinde quoque, ut ferebant occasiones, difficilisque ille rerum status admittebat, unum alterumve captivum in Christianam libertatem asseruit. Cæterum quia in illis plagis nulla

Ulterior narratio de Actis secundæ Redemptionis.

1692. inveniebantur Turcica mancipia, quæ coëmeret, & pro Christianis commutaret, sedatis jam aliquantulum Turcarum animis per internuncios mox Belgradi, mox Temesvarini rem suam egit, aureo piscatus hamo, cujus operâ aliquos redemit moderato satis pretio; plerumque pro uno non plus, quam duobus & septuaginta florenis numeratis, paucis centum florenorum pretio comparatis. Fuit tamen unus, qui ducentis viginti duobus, alter vero singularis notæ, qui quadringentis & quinquaginta quinque florenis stetit. Omnes sub diversis tribunis Cæsaris stipendia meruerant, duo etiam militaria munera administraverant; alter eorum erat Decurio, alter autem castrorum Metator.

4. Turcæ pro totidem Christianis commutati.

Ad Catholicam fidem conversa mulier redempta.

Pater alit & vestit redemptos.

Viennam venis Redemptio.

II. Eminentissimus Cardinalis Kolloniczius Redemptione ad finem vergente quatuor submisit Turcica mancipia pro Christianis commutanda, quæ pariter brevi tempore uni viro & tribus mulieribus libertatem pepererunt. Harum mulierum una Lutheri veneno ab incunabilis imbuta, agnitæque hac occasione Sanctæ nostræ Fidei veritate virus confestim evomuit, ad Catholicam conversa Ecclesiam æternæ salutis suæ remedium simul invenit. Univerſim redempti fuerunt tres & viginti ex variis Germaniæ Provinciis oriundi, nimirum ex Austria, Bohemia, Bavaria, Belgio, Franconia, Saxonia, Styria, Suevia, Vogtlandia & Westphalia. Accuratiores hominum delectus institui haud poterat, satis fuit ad impetrandum Redemptionis beneficium Cæsarei militis nomen præsetulisse; dignus enim libertate videbatur, qui pro CHRISTI nomine dimicaverat: erant autem plerique eorum in flore ætatis constituti; unus enim octodecim annos nondum superaverat, alter duos & viginti, reliqui plerumque trigessimum non transcederant. His omnibus, sicut & illis, quos per intervalla redemerat, P. Joannes constanter deinceps diurnum victum præbuit, alios quoque vestibus cooperuit, quod Turcæ seminudos detrahis vestimentis vendiderint, vel ita vendidisse interpretarentur; in quorum necessitatibus sublevandis ducenti & nonaginta novem floreni sunt expensi.

III. Ad mensis Aprilis initium Sanctiori hebdomade, quâ nimirum universi Generis Humani Redemptio a CHRISTO in cruce peracta anniversaria devotione recolitur, omnes redempti cum P. Redemptore iter Segedinò Viennam versùs sunt auspiciati, quò etiam duodecima die ejusdem mensis salvi & incolumes pervenerunt, ingenti Viennensium applausu excepti. Porro cum sequenti luce, quæ fuit Dominica in *Albis* pro agendis DEO Redemptori gratiis, ut semper fieri consueverat, instituenda foret Redemptionis processio, id impedivit alia eadem die e S. Augustini æde ad Cathedralem S. Stephani Proto-Martyris Basilicam ob averſam contagionis luem DEO Liberatori in gratiarum actionem indicta publica supplicatio, cui nostra quoque communitas interesse tenebatur. Ne autem redempti solemnibus ingressu prorsus privarentur, decretum fuit, ut cum nostris Religiosis ad eandem processionem se conferrent, nostrique cœnobii crucem immediatè præcederent. Sed cum huic nostræ ordinationi Cæsarei

Ho.

Hospitalis alumni obstreperent, sibi que debitum locum a redemptis præripi quererentur, redemptos, ut nullus controversiæ locus superesset, nostræ communitati inseruimus, eosque binos & binos inter cæteros Religiosos nostros intercalatim incedere iussimus. Atque hoc pacto res ob novitatem magis evasit notoria, omniumque oculos & ora ad se convertit, aliis exoticum hoc spectaculum admiratione prosequentibus, aliis eidem effusè applaudentibus. Hoc modo lite prudenter sublata Ordinis decori perquam honorificè fuit consultum, nemine contra hiscere auso.

IV. Nunc de commutatione mancipii infidelis cum fidei, ut promisimus, tanquam in proprio loco pauca libet differere. Nihil in sacro nostro Ordine fuit antiquius, aut magis usitatum, quam emptos, vel aliò modò licitè acquisitos paganos captivos, servatis servandis, pro Christianis mancipiis commutare, ac ità redimere. Id claris verbis insinuat Primitiva Regula nostra, quæ capite secundo ità loquitur: *Omnes res undecunque licitè veniant, in tres partes dividantur æquales . . . Tertia verò pars reservetur ad Redemptionem captivorum, qui sunt incarcerati pro fide CHRISTI a paganis, vel datò pretiò rationabili pro Redemptione ipsorum, vel pro Redemptione paganorum captivorum, ut postea rationabili commutatione & bona fide redimatur Christianus pro pagano secundum merita & statum personarum.* Hæc itaque permutatio est secundus modus redimendi captivos, ut præcipuè ostendit Leander noster in expositione Regulæ. Hanc redimendi formam adhuc ante conscriptam Regulam nostram edocuit nos in ipsa Ordinis Institutione semel Parisiis, atque iterum Romæ coram INNOCENTIO III. Summo Pontifice apparitio Angeli candida veste amicti, crucemque cærulei ac rubri coloris in pectore præferentis, & quod caput est, decussatis brachiis duos captivos Christianum unum, alterum Maurum amplectentis, quasi alterum pro altero permutaret. Ille idem INNOCENTIUS III. Pontifex Maximus hujus visionis testis ocularis, Ordinisque nostri conditor in Litteris suis Decretalibus ad Miramamolinum Regem Marrochii datis commutationem hanc commendat: *ut melius inquires, valeant suum propositum adimplere (cùm facilius per commutationem de captivitatibus ergastulis valeant liberari) ut paganos captivos emant est concessum; quos pro liberandis Christianis debeant commutare.* Ità sanè perfecta charitas non agit perperam, non æmulatur, sed indiscriminatim utriusque gentis commodis, atque utilitati studet, quod tunc potissimum elucet, quando corpora pro corporibus, infideles pro fidelibus, servatis servandis, ut præmonuimus, commutantur; quò cambiò, quamvis etiam infidelibus egregiè consulatur, multò tamen majus emolumentum Christianis accedit, utpotè, qui ab innumeris peccandi occasionibus hac ratione præservantur, & præsentissimis fidem ejurandi periculis subducuntur. Adde, quòd hujusmodi permutationibus pagani ab ovili CHRISTI, de quo non sunt, removeantur, qui ad instar luporum sceleratà suà vità, & enormibus blasphemis Dominico gregi insidiari nunquam desinunt. Quod cùm laudatus Pontifex probè intellexisset, superius

1692.

In Processione nostris infertur.

Commutatio captivorum in Jure fundatur.

N. P. Leander in Expos. Regulæ sect. 5. 2.

Epistola Decretales Innocentii 3. P.

1692.

adductas Litteras suas, in quibus de permutatione captivorum differuit, his verbis, veluti totidem gemulis obfignavit: *Ceterum quoniam opera, quae praemissimus, & Christianis expediunt & paganis, hujusmodi vobis auccimus per Apostolicas Litteras intimanda.* Atque hic permutationis modus in hac Redemptione observatus crebrius quoque deinceps, quoties id temporum circumstantiae ferebant, usurpatus fuit, ut suo loco memorabimus.

Secunda Redemptio deditur Emin. Card. Kollonicio.

Psalm. 76.

V. Secunda igitur haec captivorum Redemptio gratitudinis ergo Eminentissimo Cardinali Kollonicio nuncupata fuit, qui eam suis consiliis inchoavit, beneficiis adjuvit, & patrociniò suo ad plenam maturitatem perduxit, ut venerabundò nunc silentiò præteream alia quamplurima ab hoc purpurato Ecclesiae Principe Ordini nostro collata beneficia. Amplo itaque in folio nomina, patria, conditio, sexus, ætas & lytra captivorum typicis formis descripta, eidemque Cardinali inscripta fuerunt, præfixò Gentilitiò illius Signò cum Sacro Regii Vatis lemmate: *Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob & Joseph.* Quò nihil in rem præsentem accomodatius excogitari potuisset. Exindè in panegyrim effusa oratio prolixè celebravit Eminentiae Suæ in nostram Familiam collata beneficia, quibus recensendis imparem se calamus, & ad condignas grates referendas eloquentiam omnem ingeniùmque exhauriri fatebatur. Subjecit deinde, notam ejus in populis virtutem ingenti omnium approbatione citra ullam tamen adulationem deprædicari inter Equites Melitenses, quorum Cruce teneris ab annis condecoratus fuisset, nunc autem tanquam Ordinis ejusdem Prior Egrensi & Mailbergeni Commendaturæ præffet. Insuper Pastorales inter Infulas ipsum Cyprianos, Ambrosios, Augustinos & Chrysostomos repræsentare ferventissimò Catholicæ fidei zelò, effusa in orphanos, pupillos & omnes pauperes charitate, ac denique incorruptâ Justitiâ, infractaque fortitudine in perveraces & obstinatos. Satis illum superque notam fecisse virtutem suam in nuperna Viennensi obsidione, ubi cordatissimis consiliis & intentis ad cælum manibus velut alter Moyses precando populum servaverat Cæsari, eumque idcirco tot meritis exigentibus, quidquid etiam illius modestia reluctaretur, Purpuratorum Patrum Collegio dignissimè fuisse aggregatum. Hæc aliæque plura in illa Dedicatione legebantur, quæ licet in se magna essent, & insignia, tanti tamen viri merita non æquabant.

P. Joannes Viennensis Domus Præses eligitur.

VI. Utprimùm P. Joannes a S. Augustino confecta in Hungaria Redemptione captivorum Viennam rediit, P. Josephus a Matre Dei Præsidis officium, quò paucos ante annos auctoratum fuisse superius diximus, in manus P. Josephi ab Angelis Commissarii Generalis resignavit. Hic autem pro plena, quæ fungebatur, potestate, ipsi in munere regendæ Domus Viennensis substituit eundem P. Joannem, licet iste summis precibus hoc onus a se amoliri conaretur. Kalendis tamen Maji, cum ultrò mandatis reluctari non posset, humeros oneri supposuit. Interim ille idem P. Josephus per aliquod tempus privatam duxit vitam soli

DEO



DEO suæque animæ saluti vacans. Scilicet Clementissimus Deus illos, quos singulariter amat, plerumque a regiminis curis liberat; melius est enim, quando per obedientiam licet, ad pedes Domini sedere, ejusque verbis animum cum Magdalena pascere, quàm cum Martha circa frequens ministerium satagere. In culmine confurgunt sæpenumerò procellosæ nubes, & insanientium ventorum turbines; in humili valle regnat placida mentis tranquillitas, pax, quies, & alta securitas: qui in sublimi stat, periculoso lapsui manet expositus, qui jacet in terra, non habet, unde cadat.

1692.

Status humilior melior.  
Lucæ 10.

## CAPUT XI.

*Zelus & studium nostrorum Religiosorum per Germaniam & Poloniam in redimendis captivis commendatur Pontificiis Litteris ad Generalia Ordinis Comitia expeditis.*

I. Cùm paucos inter annos in Polonia tertia jam peracta fuisset captivorum Redemptio, & in unica domo nostra Vienneſi tertia quoque jamjam adornaretur, adeò ut anni recentis propagationis nostræ per Redemptions quodammodò computarentur, clara Trinitarii Ordinis Fama magnam Christiani Orbis partem pervagata Romam etiam penetravit, & ad aures INNOCENTII XII. Sanctissimi Pontificis allapsa est. Etenim P. Petrus a Jesu, qui in Romana Curia Procuratoris Generalis officium administrabat, omnia captivorum a nostris tam in Polonia, quàm in Germania hætenus redemptorum nomina in unum folium contraxit, eaque sub faventissimis Auspiciis Celsissimi Principis D. Antonii Floriani de Liechtenstein Sacræ Cæsareæ Majestatis eo tempore ad Sedem Apostolicam Oratoris, typis vulgata religiosa submissione Sanctissimo Patri exhibuit. Is, ut erat perspicacis ingenii, & æquus meritorum arbiter, tam copiosis in Ecclesiam DEI congregatis fructibus & præcipuè tot animarum lucris mirificè exhilaratus, easdem novas Ordinis in Polonia & Germania propagines impendiò commendavit. Néque his contentus, quasi nondum affectui suo plenè satisfecisset, nisi etiam publicò Rescriptò & Apostolicis Litteris animi sui sensus prolixius testaretur, cùm sub idem tempus ei innotuisset Generalia Ordinis Comitia proximè instare, insolitò aliàs & rarissimò Antecessorum Romanorum Pontificum exemplò Complutum in Hispanias ad congregatos Patres Apostolicum Breve, ut vocant, dirigere voluit, sive Epistolam paterna exhortatione refertissimam, ut zelum & studia Patrum in benè cœptis magis accenderet, sollicitudinem acueret, ac denique calcar quoddam ad hujusmodi expeditiones crebrius iterandas subjiceret. Qui favor, cùm sit admodum singularis, nec nisi semel duntaxat a Summis Pontificibus (ut observavit P. Joannes a Nativitate) PP. Benedictinis exhibitus,

Tot Redemptions quot anni.

Summus Pontifex Ordinis diligentiam in redimendis captivis laudat.

Singularis Sum. Pontificis dignatio. Historia coramata.

1692. quorum etiam Comitia Supremum Ecclesiae caput olim Apostolicis Litteris honorare voluit, operæ pretium me facturum putavi, si hanc Epistolam referrem, & præsentî Historiæ attexerem, quæ ita sonat:

## INNOCENTIUS PAPA XII.

Epistola ad  
Generale Ca-  
pitulum.

Dilectis Filiis Ministro Generali, Definitoribus Generalibus, Provincialibus & Sociis Ordinis Discalceatorum Sanctissimæ TRINITATIS Redemptionis captivorum in Complutensi Collegio ejusdem Ordinis ad celebrandum Capitulum Generale congregatis.

*Dilecti Filii, Salutem & Apostolicam  
Benedictionem.*

**E**T si cognitum jam pridem, ac perspectum habeamus eximium, nullisque unquam præconiis satîs commendandum zelum, quò incensi eratis redimendi per indefessos præstantissimi Ordinis vestri Professores a Barbarorum captivitate Polonos, Germanosque, gavisi nihilominus majorem in modum sumus idipsum intelligere a Religioso Viro Patre Petro a Jesu Procuratore Generali Romæ existente, Nobisque admodum probato, a quo accuratam e prædictis Nationibus Notam accepimus. Quia verò novum hoc, præclarumque zeli vestri testimonium ingenti charitati, quâ vos prosequeremur, cumulum addidit, gratos erga vos hac de causa animi nostri sensus hîsce vobis duximus significandos, non defecturi occasionibus, quæ se offerrent, luculenter declarandi, quanti pietatem vestram faciamus. Reliquum est, ut constantes permaneat in juvandis, ac indices magis stabiliendis Collegiis, quæ in Polonia, Germaniâque magno cum Divinæ Gloriæ & Catholicæ Fidei incremento excitatis, dum Nos hac spe freti vobis Dilectis Filiis ad Generale Capitulum laudabiliter celebrandum Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima secunda Martij Millesimò sexcentesimo nonagesimò secundò. Pontificatus nostri Annò Primò.

MARIUS SPINULA.  
II. Com-

II. Compluti, ubi hōc annō Generalis conventus Ordinis celebrabatur, die tertiâ Maji in pleno Patrum confessu, ut moris est, hæc epistola, recitata fuit; quâ perlectâ cogitari facilius potest, quàm explicari, quantis Patres congregati, aliisque Ordinis nostri fautores, ad quos notitia hujus rei manavit, gaudiis inceserint. Universos profectò attonitos reddidit tanta Sedis Apostolicæ dignatio; sed & vicissim erga Pontificem singularis successit reverentia, demissio & animi gratitudo. Fuere non pauci, qui in hanc messem copiosam, ut erant zelò propagandæ Religionis fervidi, quantocius submitti rogarent, & hanc gratiam avidissimis votis prehensarent.

III. Cæterum noster P. Petrus a S. Michaële meritīs & virtutibus conspicuus, cum integrum Supremi Magistratūs, quō functus fuerat, sexennium effluxisset, consonis vocalium Patrum suffragiis in hac dignitate Successorem accepit N. P. Raphaëlem a S. Joanne, Madriti tunc degentem, virum cæteroquin canitie ac pietate venerabilem, & a doctissimis illis, quæ in lucem edidit, voluminibus celeberrimum. Insignis hæc electio, si unquam aliàs, universali totius Ordinis plausu & approbatione excepta fuit: in hac tamen communi lætitia solus ille lugebat, quem Patres unanimi consensu ad hoc fastigium evexerant. Qui cum nuncium suæ electionis accepisset, pro agnata sibi modestia tantopere oblectatus est, ut necessè fuerit eum obedientiæ virtute adstringere, illumque conscientie religione adigere, ne ulterius tergiversaretur, sed omnium votis delatum Magistratum capefferet, si DEI voluntati resistere nollet. His perterritus admisit supremos Ordinis Fasces, invitus tamen, & non sinè magno animi sui mœrore: nec destitit bonus ille senecio, de se quàm humillimè sentire solitus, rem precibus urgere, donec missionem impetraret, & ab hoc onere absolveretur, quod sequenti annō tanquàm in suo proprio loco recensebimus.

1692.  
Epistola Pontificis, Patres ingenti gaudio afficit.

N. P. Raphaël invitatus Minister Generalis eligitur.

## C A P U T XII.

*Quales industrias nostri Viennenses adhibuerint, ut officia SS. PP. NN. JOANNIS & FELICIS Breviario Romano insererentur, & obligatio ea recitandi ex præcepto Summi Pontificis ad totam Ecclesiam extenderetur.*

*Sacri nostri Ordinis Cæremonie typis excuduntur.*

*Ad earundem observationem exhortatio.*

I. **N**ON ita pridem P. Josephus ab Angelis Ordinis nostri per Germaniam & Poloniam Commissarius Generalis a nostro Definitorio monitus fuerat operam dare, ut Augustissimus LEOPOLDUS Imperator Sedem Apostolicam de Officiis Sanctorum Patriarcharum nostrorum JOANNIS & FELICIS ad totam Ecclesiam extendendis compellaret, quatenus hæc festa, quæ in pluribus jam Regionibus, & Dioccesibus ad diem octavam Februarii

Officia SS. SS. PP. NN. JOANNIS & FELICIS corpori Romani Breviarii inseri desiderantur.

1692.

& vigesimam Novembris Sedis Apostolicæ Auctoritate celebrari consueverant, deinceps ex mandato Summi Pontificis prædictis diebûs in universâ Ecclesia celebrarentur, & officia eorum Romano Breviario inserta ab omnibus Christi fidelibus utriusque sexûs, qui ad persolvendas Horas Canonicas obligantur, impostum de *Præcepto* recitarentur. Cùm enim ex nuperis Pontificis Litteris ejus erga Sacram Religionem nostram benevolentia clarissimè elucescat, minimè committendum videri, ut tam apta rei benè gerendæ occasio frustra elabatur. Nec cunctatus est bonus Pater jussis Definitorii morem gerere; sed extemplò Libellum Supplicem conscripsit, eundemque beneficentissimo Cæsari porrexit, humillimîs precibûs adjectis, ut Sacratissima Majestas totius Ordinis desideria suâ Auctoritate interpositâ, ad felicem exitum perducere dignaretur.

Cæsaris Oratori negotium committitur.

II. LEOPOLDUS Imperator, qui pro ingenti, quò Religionem Trinitariam complectebatur affectu, incrementis nostris insigniter studebat, facillè exorari se passus est, ut Ordini nostro in causâ tam sancta velificaret. Subortis tamen eodem tempore inter Sedem Apostolicam & Aulam Cæsaream, nescio quibûs, simultatibûs, res aliquamdiu comperendinata fuit. Quare P. Josephus ab Angelis & P. Joannes a S. Augustino, ut præsens negotium urgerent, familiares Cæsaris Ministros rogitabant, ut Imperatorem suis consiliis ad patrocinium hujus causæ suscipiendum blandè inducerent, quòd licèt Sua Majestas, horum Procerum rationibûs persuasâ, propensa voluntate præstiterit, litteras tamen non ad Summum Pontificem sed ad Principem Liechtensteinium suum in Romana curia Oratorem scripsit, adjunxitque nostrum Libellum Supplicem, & junctim Romam transmissit, ut de nostra petitione Orator plenius edoceret. Eidem Principi Benignissimus Cæsar non sinè magna Ordinis nostri commendatione præcepit, ut tota animi contentione in id incumbere, quatenus Ordo noster, quam efflagitaverat gratiam, Cæsarea suffragatione consequeretur. Ipsam Cæsaris Epistolam pro majori præsentis materiæ elucidatione, & dictorum confirmatione huc apponere necessarium duximus, quæ ab Imperatore his verbis exarata fuit.

Cæsaris Epistola ad eundem.

*Quid Ordo Sanctissime TRINITATIS Discalceatus a Nobis demississimè petat, ex adjuncto Supplice Libello fusius percipiet Dilectio tua. Et quoniam eundem, cùm ob insignia in Ecclesiam & Rempublicam merita, tum ob indefessam, quam saluti animarum, eliberandisque captivis navat operam, singulari affectu complectimur, ejusque splendorem & augmentum libenter promovemus; ideò Dilectionem tuam ad Summi Pontificis Sanctitatem id omni studio & sollicitudine agere volumus, ut quam dictus Ordo efflagitat gratiam, quamque accedente Cæsarea nostra suffragatione se faciliùs consecuturum sperat, eam ipsi Sua Sanctitas nostri intuitu-*

intuitu benignissimè impertiri dignaretur. Cedet id præprimis ad majorem DEI gloriam & orthodoxæ Religionis incrementum, eritque prædicto Ordini ad exercendam porrò erga proximum charitatem incitamento; Nobis verò gratissimum. Qui de cætero gratiam Nostram Cæsaream Dilectioni tuæ clementer confirmamus. Vienna 16. Septembris 1692.

III. Pauca quidem hîc occurrunt, sed penetrantissima verba, tantòque Cæsare digna. Hanc Epistolam a Suametipsa Augustissima Majestate, ob eximium, quo in nos ferebatur, amorem conceptam, & Cæsareâ manû, ut pondus adderet, scriptam fuisse, ut opinor, ex ipsius styli methodo apertissimè colligitur; plura namque LEOPOLDINI Ingenii in hoc scribendi genere extant specimina, & leguntur Epistolæ ad diversos subinde exaratae, veluti ad Franciscum Udalricum Comitem Kinskium Regni Bohemiæ Supremum Cancellarium, Cæsari a Sanctioribus consiliis, ejusque intimum Ministrum. Item ad Petrum Lambecium Vindobonensis Bibliothecæ Præfectum, & ad alios plures, quæ passim circumferuntur, & multorum manibûs teruntur. Quin imò ipse egomet vidi integrum volumen LEOPOLDINARUM Epistolarum ad diversos variis occasionibûs exaratarum, in quibus ad floridioris styli elegantiam nemo quidquam jure desideraverit. Concors est Eruditorum omnium assertio, Famâ idipsum etiamnum prædicante, LEOPOLDUM I. Romanorum Imperatorem, quod in Principibus rarum & admirabile censetur exemplum, Eruditissimis suò sæculò quibusvis in politiori Litteratura, aliisque sublimioribus scientiis non solum æquiparandum, verum etiam præferendum fuisse.

IV. Porrò cæteras inter curas juxta datam priore annò facultatem, ut superius ostendimus, agitabatur quoque nostri Cæremonialis Libri in Latino sermone impressio, quæ mense Julii ad calcem ferè pervenerat. Hujus Libri vestibulo P. Josephus ab Angelis, qui tunc temporis adhuc appellatus fuit per Germaniam & Poloniam Ordinis nostri Vicarius Generalis, postea, ut alibi retuli, Commissarius Generalis nuncupatus, gravem præfixit ad Patres & Fratres Germanos ac Polonos exhortationem, quâ omnes & singulos ad accuratam earundem Cæremoniarum observationem efficacissimis verbis cohortatus est; ubi in illud æternæ Sapientiæ: *Qui spernit modica, paulatim decidet*, commentans prolixè ostendit, homini religioso maximi etiam facienda, quæ minima esse videntur. Et fanè, ut sapienter ipse pluribûs ibi demonstravit, qui cæremonias, leges & statuta contemnunt, transgressores sunt suæ Religionis & naufragæ Syrtes atque Charibdes non solum propriarum, sed etiam alienarum animarum, quas exempli sui pravitate, ceu scabie quâdam contagiosâ inficiunt. Ac propterea Athenienses tantâ severitate minimarum etiam legum suarum custodiæ invigilasse, ut damnarent eos, qui nonmodò totam Legem, sed unicam etiam syllabam transgressi

Opinio, ab ipsa Cæsare manu scriptam fuisse hanc Epistolam.

LEOPOLDI Imp. Liber Epistolarum servatur inter Manuscriptos. Codices Vindobonensis Bibliothecæ.

Ordinis cæremoniale typis mandatur.

P. Josephi exhortatio.

Eccl. cap. 19. v. 1.

1692. fuissent. His præmissis subjunxit : Digni quidem sunt damnatione, qui sanctas cæremonias despiciunt ; hæc namque sunt limites illi, quibus Sanctæ Religionis vinea circumvallatur : Illi autem, qui perfriatâ fronte sepes Dominicæ vineæ perfringere, statutosque terminos contemptim transilire præsumunt, vestigiis Sanctorum Patriarcharum nostrorum JOANNIS & FELICIS non insistant, perfectorum iter deserunt, latas imperfectorum, tepidorumque vias ingrediuntur, relicto calle perfectionis ad languorem, imò ad perditionem tendunt, Superiores afficiunt tristitiâ, confratres suos offendunt, vocationem suam, monasterium & Sanctæ Religionis spiritum conculcant & amittunt; pacem, quæ ex concordia cæremoniarum & vivendi uniformitate coaluit, omninò perturbant. Hactenus ferè ille. Aurea sanè monita, & intimis medullis insculpenda,

## C A P U T XIII.

### *Expediitio tertiæ Redemptionis initium sortitur.*

Tertiæ Redemtionis dispositio.

1692. III

1692. III

1692. III

Cæsaris & Austriæ ad Redemtionem subsidia.

I. **A**ugustò mense in eum jam statum accreverant Redemtionis subsidia, ut paucis accessionibus spem non modicam facerent profectiois propediem inchoandæ. Die secundâ ejusdem mensis, quâ festum Sanctæ MARIE Angelorum vulgò de Portiuncula dictum a sacra illa Umbræ ædicula, celebrabatur, Religiosi nostri ad omnes in urbe Ordinis Minorum Ecclesias, quò impetrandæ peccatorum remissionis a CHRISTO concessæ causâ frequentes fidelium coibant cœtus, ad portarum valvas distributi eâ die non contemnendas pro captivorum Redemtionem elemosynas corrogaverunt, quæ cæteris adjunctæ, quas P. Redemptor prius jam conquissiverat, lytrum proximè præcedentium simul duarum expeditionum fermè æquabant. Sic piissimum hoc Christianæ charitatis Institutum continuò firmiores agebat radices. Hæc igitur Redemtionum incrementa ad Augustale Cæsaris Solium perlata tanti Monarchæ approbationem retulerunt, qui Patres assatim collaudatos admœnuit, sibi gratissimum semper fore, si hoc tam sanctum & salutare Institutum quotidie magis effloresceret. Et ne sterili præconiò illos demulcere voluisse videretur, jussit ex suo ærario mille florenos in eundem finem numerari. Serenissimi quoque Rex Romanorum JOSEPHUS I. Frater & Sorores Archi-Duces Austriæ, nec non Austriæ Magnates, Nobilésque Domini pro singulorum pietate in hanc Redemtionem eò majore liberalitate suas elemosynas submiserunt, quò sanctiùs illas expendi cognoscebant. Quibus omnibus sollicitè collectis tandem P. Maurus captivorum Redemptor vigesimâ sextâ Augusti mensis, Altissimi moventis manu, ut ipse in suis Adversariis annotavit, & supernò repente impulsu actus tritam, sibi que jam cognitam viam per Poloniam in Tartariam est auspicatus, quò spem conceperat Redemtionem in confi-

confiniis Ruffiæ, aut certè Moldaviæ Armenorum Inſtitorum operâ commodiffimè abſolvendi. Sed quàm graviter in hoc hallucinatus fuerit, eventus ubertim demonſtravit; omnia enim illi adverſa, quæ ſibi nunquam imaginatus fuiſſet, evenerunt; noluit nempè DEUS, ut mercenariorum manibûs, ſed potiùs induſtriâ & laboribûs legitimorum Redemptorum Regulare Ordinis noſtri Inſtitutum exerceretur, ac propterea hanc Redemptionem non paucis cum ærumnis conſictari permiffit, ut inferiùs enarrabitur.

II. Equidem multò majus viæ compendium iniri potuiſſet, ſi P. Maurus per Hungariam in ditiones Turcici Sultani contendere voluiſſet, ſed tædia & fruſtrationes, quibus ſecunda Redemptio obnoxia fuerat, eum ab hoc propoſito deterruerunt, & ad capeſſendum in Tartariam iter ſtimulaverunt: ignorabat ſiquidem multò majora ſibi apud Tartaros exantlanda eſſe pericula, ærumnas & afflictiones, inſuper & carceres, ut latè inferiùs ſumus cognituri. Ducebatur tamen & alia haud contemnendi ponderis ratione, cum ſciret a nuperna obſidione Vienneniſi plurimos adhuc Auftriæ indigenas in Tartaria detineri, eorùmque benè multos ad evitandas duriffimæ ſervitutis ærumnas, & commodiorem vitæ conditionem obtinendam, præfertim cum nulla, aut exigua ſpe recuperandæ libertatis lætarentur, ſalvificam CHRISTI fidem ejurâſſe, & nefariæ Mahometis ſectæ in æternæ ſalutis exitium, & Chriſtianæ Religionis opprobrium, nomen dediffe. Ut itaque reſiduos, qui inconcuſſâ conſtantiâ in CHRISTI cultu perſtiterant, ab exitiali hoc barathro, & malorum omnium extremo vindicaret, Tartariam potiffimum adire conſtituit, ſatis nimirum gnarus, hunc eſſe præcipuum ſcopum, ad quem Redemptionis Inſtitutum inconniviſ ſemper oculis colimet.

III. Viam itaque per Poloniam ingreſſus poſt longos itinerum anfractus Leopolim tandem ad noſtros pervenit. Hic conſtitutus omnia tentavit, quæ ad ſecundanda hujus Redemptionis initia conducere poſſe rebatur: ſolicitè nimirum cavebat, ne quempiam in ipſo quaſi negotii proſcenio errorem conſciſceret, a quo plerùmque cæteros ſive proſperos, ſive ſiſtros rerum ſucceſſus pendere noverat. Omnibûs itaque maturò judiciò trutinatis, ſtatim in ipſo limine clarè admodum perſpexit, illa media, quæ prius conceperat, ſibi que delineaverat, nihil opis ad præſens negotium allatura. Rejeçtò itaque priorî conſiliò, quò hanc tertiam captivorum Redemptionem Armenorum mercatorum operâ, qui ut plurimum propriis lucris inhiantes rem ſuam augere ſtudent, & captivorum majori emolumento parùm invigilant, perficere decreverat, ſtatuit ad extremum in propria perſona Tartaros Budziakenses adire, rem cominùs agere, ac omnî poſſibili induſtriâ Redemptionis negotia promovere. Sub idem tempus Sereniſſimo JOANNE III. Rege Poloniarum Leopoli demorante, aulam ejusdem affectabatur Tartarorum Reguli *Sefa Geraij Sultan Han* (Chanum vocant) Orator, gravium quorundam

1692.

Improbatur  
arbitrium  
Redemptio-  
nes per mer-  
catores exer-  
cendi.

Rationes cur  
non in Hun-  
gariam, ſed in  
Tartariam  
viam inſtitue-  
rit.

Leopolim  
Pater venit.

Nihil boni  
mercatoribus  
ſperatur.

Opera Lega-  
ti Tartaro-  
rum,

1692. inter utrâmq; Rempubliam diffidiorum componendorum causâ. Hæc occasio P. Mauro perquam opportuna videbatur ad præfixum finem suum certiùs, celeriùsque assequendum. Accessit proinde Tartarum Legatum, & exposita intentione sua petiit ab eodem salvi conductûs Litteras, quarum fide munitus in Budziakensem Tartariam tutò progredi valeret. Orator, etsi homo valde barbarus, comiter tamen Patrem excepit, ejusque voluntate intellectâ liberaliter omnia, & sinè dolo sponndit: non enim petitas duntaxat Litteras ad Budziakensis Tartariæ limitaneum Governatorem conscripsit, in quibus Patrem, ejusque negotium plurimîs commendavit, verùm etiam disertè præcepit, ut ei omnibûs modis, & in quibuscúnque occasionibus faveret, asserens id fore genti Tartariæ valde utile ob reciproci gratitudinis hospitium, quò Rex & Respublica Polonorum hunc favorem essent compensaturi. Quinimò ut in via Patris tutiùs procederet, quosdam de suo comitatu Orator delegit itineris duces, atque custodes, quorum unus officiò *Murza* erat, quod barbarum vocabulum latinè Centurionem significat. Versabantur eodem quòque tempore Leopoli Kaufanenses Institores ex eadem Tartaria oriundi, & in patriam suam propedièrem reversuri, quibus item Tartarus Orator severè injunxit, ut cum P. Redemptore unâ proficiscerentur, quatenus Viro Præstanti (sic ipse rarò inter Mahometanos exemplò dicebat) consiliò & ope præstò adessent: quæ quidem omnia eis sub gravis vindictæ interminatione commendavit.

Viam in Tartariam flexit.

IV. Degebat tunc quoque Leopoli in nostro conventu P. Michaël a SS. Sacramento natione Armenus, filius legitimus Græci cujusdam Sacerdotis, cum universa Familia sua Romanæ Ecclesiæ pridem uniti, natus Cameniaci eo adhuc tempore, quò hoc præsidium Turcis parebat, & unus ex primis, qui in Polonia Ordinis nostri Instituto se addixerunt. Religiosus ille noster præter idiomatis nativi, id est, Armeni cognitionem, etiam Turcicæ & Tartariæ linguæ optimè gnarus erat; ideòque P. Redemptor, ut fidelissimum penès se haberet interpretem, eundem sibi in socium ascivit, & continuò copiosò tum Tartarorum, tum Armenorum negotiatorum comitatu stipatus in Budziakensem Tartariam profectus fuit, longòque itinere prosperè emensò Kaufanum celebre Tartariæ oppidum & mercimoniis clarum feliciter attigit, ibidémque apud negotiatorem, quem in hac peregrinatione comitem habuerat, hospitium conduxit.

## C A P U T XIV.

### *Redemptionis hujus in Budziakensi Tartaria varii, ac inopinati successus.*

I. **H**Ætenus P. Redemptori omnia ex sententia cesserant, secundissimò usus expeditionis suæ exordiò, quò nec melius, faventiùsque desiderare potuisset. Sed ut est ephemera

mor-



mortalium felicitas, & sexcentis vicissitudinum ludibriis obnoxia, tota hujus prosperitatis scena opinione citius evanuit. Vix enim Kaufanum tenuit, dum protinus intellexit, Tartarorum gentem civilibus factionibus scissam cruentissimas simultates inter se exercere, quæ implacabili animorum aversione auctæ eousque excreverant, ut Chanum, Tartarorum Principem, eo prorsus tempore throno deturbaverint, quò P. Maurus Kaufanum ingressus fuit. Exauctoratò itaque Chanò protinus exulceratæ plebis furor in omnes ejus ministros & familiares desæviit, qui muneribus exuti, opibusque spoliati in diversa latibula inglorii confugerunt, optimè secum agi existimantes, si ex tam decumana tempestate vitam saltè incolumem efferrent, & imminentem lanienam evaderent. Confusa hæc Reipublicæ facies omnia quoque P. Redemptoris consilia confudit & dissipavit; néque enim jam quidquam præsidii ab illo Governatore sperare poterat, quem tam ignominiosè loco motum sciebat. Novi Chani, Selim Hasanpai dicti, electio ubique jam divulgata & universali plausu recepta fuerat, cujus etiam Prætori Galgæ Sultano omnes Tartari, qui ripas Istri accolunt, prompta voluntate homagium fecerunt. Erat autem Galga iste filius recenter electi Chani, sui que genitoris adventum indies opperiebatur.

II. Quid nunc ageret in tanta rerum perturbatione P. Redemptor? an negotiò infectò, & ne tentatâ quidem aleâ se cum socio in Poloniam reciperet, ac emensa itineris spatia fugienti similis remetiretur? Id aversabatur infractus utriusque animus. Progredere verò, aut in hoc loco subsisteret? Id quoque periculis minimè vacabat. Augebat difficultatem, quòd omnia itinera, quæcunque demum ingrederetur, a latronum insidiis essent infamia. Ergo dum ita sacrum inter, & saxum hæret, elegit tandem Divino confusus auxilio, & innocentia suâ fretus ipsum Galgam Sultanum intrepidè adire. Ut autem majori securitate periculosum iter ingrederetur, Tartaricum illum *Murzam*, five Centurionem, quem ei Leopoli Tartarorum Legatus inter cæteros pro custode ac duce addiderat, & quem in omnibus occasionibus virum probatæ fidei compererat, in viæ societatem assumpsit. Huic item duo additi sunt Græci negotiatores, integri rerum gestarum & gerendarum testes, cum quibus post laboriosam trium dierum peregrinationem ad vicum pervenit, ubi Galga Sultanus Chani patris nomine illius terræ Præfecturam gerebat. Præmissus ad eundem *Murza* ille Tartarus, Galgæ Sultano ex ordine recensuit causas & negotia, quorum gratiâ Patres in Bessarabiam venissent; adjecit deinde illos ab Oratore Tartarorum apud Regem Poloniæ agente bonas, fidæque Litteras accepisse, eosque sibi, atque sociis impensè commendatos fuisse, quatenus tutò ire, ac redire valerent. Hîs expositis Galga Sultanus e vestigio Patres coram adduci jussit, qui ejusdem Murzæ nunciò animati celeriter comparuerunt, & Galgæ Sultano Litteras itineris sui, atque negotiorum testes & indices exhibuerunt, quibus perlectis mandavit, ut advenis

1692.

Rerum tur-  
batio ex Tar-  
tarorum Cha-  
ni depositio-  
ne.

Notri Gal-  
gam Sultra-  
num advenit.

1692. Sacerdotibus hospitium pararetur, quod ingressi benignitatem Galgæ non satis admirari potuerunt; præstolabantur tamen, quid postera dies ad promovendam Redemptionis expeditionem esset paritura.

Vocantur ad  
examina.

III. Paucarum horarum intervallò, cum itineris molestiis fatigati paulisper quiescerent, nocte intempestâ Galgæ Sultani primus Minister Patres de hospitiò ad se accersivit, qui etiam citra ullam tergiversationem se protinùs stiterunt. Eos ad se ingressos Tartarus ille variis quæstiunculis tentavit, & per multas ambages illos examinavit, cur in Tartariam venissent? Responderunt illi, quod res erat, causam sui adventûs non esse aliam, quàm ut pactò pretiò Germanici Imperatoris subditos e captivitate redimerent. Tandem post longas de variis rebus colloquutiones Minister ille, cum perspicuè animadverteret, nihil fraudis subesse, omnem deposuit doli suspicionem, ultròque promisit, se illis a Galga Sultano licentiam impetraturum, quotquot voluissent, captivos emendi. His per multas quæstiones transactis iterùm Patres in hospitium se receperunt, & per reliquum noctis spatium securiùs quieverunt.

Ampla facultas emendi captivos impetratur.

IV. Sequenti mox die primus ille Minister Galgæ Sultani, ut hesternis promissis suis stare, Litteras plenam impertientes facultatem eundi, dimorandi, captivos emendi, & cum eisdem remeandi, aut quò eis placuisset, vel commodum visum fuisset, commigrandi Patribus tradidit; qui omni jam metu absoluti de prosperis lætabantur successibus, seseque spe blandâ lætabant hanc Redemptionem propedièm ad felicem exitum perducendi. Hæc tamen gaudia non parùm corruperat morbus colicus, qui P. Redemptorem invasit, eumque per biduum tantâ sævitie afflixit, ut ob ingentia viscerum tormina & cruciatus nulli rei operam dare valeret. Morbus iste a frigoris inclementia & congruorum alimentorum inopia originem duxit. Ast ubi vis dolorum paululùm remisisset, constituit Ismaëlim aut Kiliam, oppida Istri litoribus assidentia, proficisci, ubi grandem captivorum numerum detineri cognoverat. Quod cum præfato Galgæ Sultani Ministro significasset, consuluit ille Patribus, mallent potiùs Tauricam Chersonesum, quæ hodie Tartaria Crimea dicitur, adire, eos namque ibidem plura millia Germanorum repertos, quos etiam Crimenses Tartari multò leviori pretiò essent vendituri, ut proinde in illa Peninsula minoribus expensis multò plures captivos redimere possent, quàm alibi. Adeste præterea nunc perbellam opportunitatem isthuc tutò proficiscendi, cum noviter electus Chanus in horas singulas expectetur in Crimeam cum universâ Familia sua migraturus. Ad rem quòque plurimum conferre, Primoribus gentis notos jam esse, se quòque in omnibus occasionibus eis præsidio, auxiliòque futurum, tum apud Galgam Sultanum, cujus ipse intimus erat negotiorum Minister, tum apud reliquos illius terræ incolas, apud quos satis auctoritate polleret, & id quidem usque ad plenam præsentis negotii expeditionem.

Ut in Crimeam tendant consulitur.

P. ægrotat.

V. Hoc

V. Hoc consilium P. Redemptori majorem in modum arripuit, qui illud etiam velut a Numine inspiratum confestim arripuit; præsertim quòd spes affulgeret minore pretio magnam captivorum Redemptionem perficiendi, plurisque ex tristissima servitute eripiendi. Quæ spes licet eum, ut inferius visuri sumus, magnoperè fefellerit, ejus tamen intentio omni laude dignissima fuit. Stimulabatur pariter ad hoc iter suscipiendum aliis quòque gravissimis rationibus, ut nimirum hac expeditione, quamvis etiam magna forent pericula superanda, futuris Redemptionibus ad remotissimas has & adhuc ignotas regiones aditus patefieret, caperentur successuum experimenta, & Christianis, qui inibi captivitatem ducebant, inopinatum solatium afferretur, qui, ut facile conjici poterat, impendiò essent gavisuri, si viderent, se non penitus esse derelictos, & intelligerent, in Ditionibus Cæsareæ Majestatis religiosum propagari cœtum, cujus Institutum captivorum Redemptioni sollicitè invigilat; hoc enim si ad eorum notitiam perveniret, non vanè sperabatur, illos deinceps majore constantia in professione Christianæ fidei perseveraturos. Tam prægnantibus rationibus persuasi Patres in hanc sententiam manibus, ut ajunt, pedibusque abiverunt; quamvis mens futurorum malorum præfaga eos identidem vellicaret, & non unius periculi objecto metu, præsertim durante adhuc bellò, ab hoc proposito deterreret. Illi tamen audaciùs contranitendum rati Christianæ charitatis studiò omnia aspernabantur discrimina. Tanto flagrabant ardore sui Ordinis Institutum exequendi.

1692.  
Consilium  
placet ob  
multas ratio-  
nes.

## C A P U T XV.

### *Iter longinquum, ac difficile in Crimensem Tartariam.*

I. P AUCIS post diebus advenit noviter electus Chanus ambiciosus Tartarorum coronâ stipatus, cujus comitatu Patres accesserunt, ut cum illo in Tauricam Chersonesum, ubi Principes isti residere consueverunt, securè penetrarent. Ineunte mense Decembris altum rigentibus jam brumæ frigoribus, inter plurimas hyberni cœli injurias iter in illas Septentrionales plagas auspiciati fuerunt, celerique profectio ad locum illum pervenerunt, in quo fluvius *Niester* (Ptolomæo *Tyras*) vastissimò alveò vectus undas suas in Pontum Euxinum evomit. Cùm autem tot cymbæ non suppeterent, quibus tanta hominum multitudo celeriter transfretaret, & Tartari turmatim in primas quasque irrumperent, P. Redemptor coactus est totam noctem sub dio juxta trajectum transigere, ut aptam aliquam transmittendi occasionem nancisceretur, ubi propè cum socio immodica frigoris asperitate eneatus fuit. Huic malo non levius incommodum accessit, quod tota nocte in excubiis stare debuerint, ne vilior turba, quæ navigiorum opportunitate destituta in eodem

Sequuntur  
Chanum Tar-  
tarorum in  
Crimeam.

*Niester* flu-  
vius magne  
impedimen-  
to est.

1692. cum Patre Redemptore litore pernoctaverat, rapaces manus sarcinis ejus injiceret, & tumultuaria concursatione currum illius, quem quatuor equis instructum secum adduxerat, violenter diriperet. Postea ubi terris lux reddita atram

Quem trans-  
fretant.

noctis caliginem discussisset, Patres de trajectu solliciti nautas adiverunt, eorumque avaritiâ ingenti pretiô expugnatâ obtinuerunt, ut primi cum impedimentis suis in naviculam recepti amnem transmitterent. Quô factô incitatis equis Chanum Tartarorum & Galgam Sultanum velocissimè sunt subsecuti, quatenus eorum præsiديو tecti majori securitate iter suum continuarent; secus enim si fecissent, jure metuere potuissent, ne in medio pravæ nationis constituti ab obviis quibusque malè mulctarentur, aut etiam rebûs suis omnibûs spoliarentur, quin aliquis ad manum esset, qui insanientis plebis furorem sua auctoritate compesceret. Hac de causâ etiam factum fuit, ut per totum hoc iter noctu nunquam longius a primoribus gentis recesserint, præsertim, quod communiter accidebat, quando sub diô juxta focum fuerat pernoctandum.

Cautela Pa-  
trum.

Magna isine-  
ris incommo-  
da.

II. Per loca deserta & vastas solitudines triduo itinere profecti tantâ frigoris inclementiâ sunt vexati, ut ipsa quoque victualia gelu constricta ad instar lapidum indurescerent. Adulta nocte sub diô castrametati, aridas legebant herbas, fruticesque modicos pro foci pabulo, subter cujus calentes cineres panis immixtus, & quodammodo sepultus est, ut resoluta glacie anhelis dentibus rodi posset. Appropinquavere tandem *Oczakovia* civitati, unde tota latè vicinia nomen traxit Tartaria Oczakoviensis appellata. Est autem Oczakovia validum Præsidium quatuor castellis munitum, veterum Christianorum, cum olim in illis plagis rerum potirentur, structura, cis Hipanem fluvium, qui hodiè *Bob* dicitur, sita haud procul ab illo loco, ubi amnis iste vestigales aquas Borystheni infundit. Porro ex Bessarabia venientibus nullus ad hanc urbem aditus patet nisi sulcatis undis. Ingenti transportandæ multitudini quinæ duntaxat lintres in adversa ripa prostabant, horum usus cessit præprimis Chano, ejus familiæ, & præcipuis cohortium Ductoribus, qui totam ferè diem illam in transfretatione absumpsere. Quamvis autem P. Redemptor nulli industriæ parceret, ut cum Patre socio, sarcinisque inter primos Tartarorum transportaretur, ne altera vice ob remanentem triobolaris plebis sæcem, quæ ducibus destituta prælicenter quodvis facinus audet, & effræni petulantia bacchatur, in pristina discrimina & angores incideret; nihil tamen, quidquid prece, vel pretiô satageret, impetrare potuit, identidem rejectus.

Oczakovia.

Trajicere flu-  
vium frustra  
Pater laborat.

Fraudatur  
pacto cymbæ  
usu.

III. Subducto Sole nox illunis caliginosô sipariô terras paulatim involvit. Ut igitur P. Redemptor cum socio infidæ plebis insidias evaderet, ac proletariæ turbæ omnem prædandi occasionem subtraheret, ab uno nautarum nummîs iterum super justum oblati cymbæ usum ad transfretandum extorsit; cum verò neque illa, neque alia ex præsentibus currum simul cum

qua-

1692

quatuor equis capere posset, P. Maurus cum famulo & duobus equis eam ingressus est, sub hac tamen conventionem, ut idem famulus transposito P. Redemptore, eadem cymbâ confestim citimum litus repeteret, & Patrem Socium cum reliquis duobus equis, curru & impedimentis ad ulteriorem ripam transveheret, ubi Pater Redemptor eorum adventum opperiri constituerat, ut cum nauta pacto pretio transactum fuit. Omnia tamen contra mentem Patris evenerunt, nihilque conditiones tam sapienter propositas sibi profuisse expertus est; latò siquidem fluminis alveò a socio suo separatus non sinè ingenti utriusque periculo alter alteri nullò modò succurrere valuit. Voluit nimirum Clementissimus DEUS hac in occasione Patrum probare patientiam, Potentiâque suam in servis suis protegendis cumulatius manifestare, ut deinceps in gravioribus ærumnis confidentius in Divinam Providentiam sperare discerent. Res in hunc modum acta fuit: Transfretaverat P. Redemptor in adversam fluminis ripam, terrâque conscensâ, & equis in siccum eductis, famulum illum cum cymbâ remisit, ut juxta conventionem initam pro jure possessionis cymbæ Patrem socium, currum & reliquos duos equos ad se in oppositum litus transferret. Nauta verò parùm officii aut obligationis memor in pactorum fide minimè perstitit; nam ipsius socordiâ & conniventia factum est, ut Tartari certatim irruentes Patrem socium cum impetu rejicerent, & per omne nefas eandem cymbam sibi vendicarent. Quibus in arida expositis cum neque Pater socius, nec auriga famulus, nec currus, nec equi in reditu comparerent, indignatus P. Redemptor propter illatam injuriam urgebat adhuc reditum cymbæ pro suis, pactorum fidem allegans: verum adeò densæ incubuerant tenebræ, ut nemo nautarum iterum reverti auderet, nec quisquam esset, qui inimicam vim frigoris diutiùs perferre posset, & propterea non immeritò metuerent, ne si rursus trajecissent, Tartari vehementiore impetu irruerent, & Patrem socium rursus a transmissione fluminis arcerent; omnes enim adhuc in adversa ripa reditum cymbæ impatienter præstolabantur, ut post longa itineris fatigia & protractas vigilas occasionem nanciscerentur noctem sub tecto aliquo, vel tuguriolo transigendi, sed omnium irrita fuit spes & vanum desiderium.

IV. Ægerrimè hanc nautarum perfidiam tulit P. Redemptor, qui cum duobus equis suis stabat in ulteriore fluvii margine etiam famulò destitutus; & reprobato priore consilio frustra nunc desiderabat apud suos remansisse, ne inopportuna adeò divisio nunc intervenisset. Propter quam utriusque Patrum quis moeror? quis sensus? quæ unicuique de altero sollicitudo? qui angores fuerint? putari faciliùs, quàm verbis explicari valet. Et profectò, nisi DEUS suâ gratiâ ambos peculiariter corroborâset, nihil sanè mirum fuisset, si utriusque immodica sollicitudinum violentia præcordia dirupisset. Quamvis autem P. Redemptor majoris securitatis ergo clam totum lytrum, & potiorrem Redemptionis facultatem, quam movere poterat, secum

K k 2

aspor-

— 1692  
— 1692  
— 1692  
— 1692  
— 1692  
— 1692

— 1692  
— 1692  
— 1692  
— 1692

Ex utrius-  
que separatio-  
ne curæ &  
angores.

1692. asportaverit, quia infidias projectissimæ turbæ in altero litore metuebat; non tamen ipse in adversa fluminis ripa mitioribus urgebatur periculis, utpotè, qui in aperto campo constitutus a paucis etiam latronibus opprimi, & favente noctis caligine non solum facultatibus omnibus, sed etiam vitâ quòque facillè spoliari potuisset, quam tamen calamitatem Benignissimus DEUS ab eo avertit; Tartari enim, qui naviculis trans flumen eluctati fuerunt, infestissimo frigore compulsi in civitatem properabant, ut hospitio aliquò recepti gelida membra foverent, atque hac ratione omnis quòque in eis nocendi cupiditas refrigit, prædandi ardore frigoris inclementiâ extincto. Huic metui aliud malum accessit, ingens nimirum sollicitudo, ne Patris Socii, fratris sui, ac fidissimi interpretis, in opposita ripa versantis, jacturam faceret. Multos namque plagarios reperire est inter Tartaros, qui liberos homines clanculum surreptos in remotas orbis plagas velocissimè transportant, ibidemque quæstus causâ pro mancipiis vendunt. Ad hoc autem facinus perpetrandum nox ipsa suò patrociniò invitabat, & non unam hujus sceleris committendi occasionem suggererat.

DEO se commendans Tartaros in civitatem præcurrere gaudet.

Ductu hominis Græci in civitatem venit.

Cura de Socio recrudescit.

VI. Has inter decumanas angustias, timorésque Pater Divinæ Clementiæ multis precibus se commendans ad ripam aliquamdiu remansit, & Tartaros, qui eâ horâ flumen superaverant, & a quibus non parùm sibi metuebat, libens in urbem currere permisit. Ipse verò postquam unius circiter horæ spatiò in eodem loco solus substitisset, gressus tandem civitatem versus flexit, lentòque passu procedens equos secum trahebat. Dum ità per frigus & tenebras ad instar errabundi vagatur potiùs, quàm proficiscitur viarum ignarus, amabilis Divinæ Providentiæ munere factum est, ut hominem Græcum, patriâ Moldavum, propiùs advenientem intueretur, cujus ductu usus ad januas civitatis pervenit, eodémque sollicitante hospitium apud Græcum itidem civem ejusdem gentis obtinuit. Haustus tamen semel in medullas timor & sollicitudo de socio pium Patrem minimè quiescere sivit, sed adeò impotenter afflixit, ut eadem adhuc nocte hunc Moldavum cum hospitis Græci famulo iterùm ad ripam remiserit, periculum facturos, an non per nautas Græcos, vel amicos inde haud procul habitantes efficere possent, ut Pater socius cum residuis impedimentis ocyùs trans flumen portaretur stipulatò etiam quocùnque pretiò, ne, quæ metus præfagiebat, réapse tandem evenirent. Hâc itàque totâ nocte, & per sequentem pariter diem P. Redemptor præstolatus est Socii & nunciorum adventum timore vario & implacabili desiderio, quos ad extremum etiam fera jam nocte adventantes conspexit frigore, faméque semienectos. Innumeras tamen DEO gratias egerunt, quòd absque alio graviore incommodo sibi invicem fuerint restituti, gravissimas licèt post ærumnas & afflictiones, quas nemo verbis facillè explicaverit.

VI. Postquam igitur P. Socius ab exantlatis periculis & angoribus paululum respirasset, cœpit enarrare, quam mirabiliter DEI ope e Tartarorum manibus fuerit liberatus; audierat siquidem illos, quorum idioma optimè callebat, frequenter inter se mussitantes, ac dicentes: *O! quam benè nutritos ille habet equos.* Subinde: *& aureorum bursa hærebit intra currum,* atque alia his similia. Augebat timorem, quòd plures sæpenumerò ad inspiciendos equos accederent, alii verò tenebriones juxta currum explorabundis similes reptarent. Hinc verebatur in momenta singula, ne per insigne aliquod facinus obrueretur. Exteriora siquidem indicia satis prodebant, quam enormia flagitiorum monstra interiùs alerent. Quamobrem necesse habuit semper in excubiis persistere, & ne transversò quidem digitò a curru recedere, ut hæ rapaces Harpyiæ intelligerent, insidias earum sibi satis esse perspectas. Has inter angustias mirabilì planè modò adfuit illi Clementissimus DEUS, cujus honoris causâ hæc expeditio unicè suscepta fuerat; in medio námque rabientium luporum constituto Numen propitium ex eorundem numero quendam Tartarum selegit, qui fidi custodis munus susciperet. Hic, quem cultus corporis & mores ab aliis longè diversi virum altioris conditionis arguebant, animadversò Patris periculò eum blandè accessit, officiosèque salutatum his verbis affatus est: *Sacerdos, ne metuas! en tibi me offero, & moriar ego, nisi te a Tartarorum machinationibus defendero, illi multa maleficia adversus te moliantur.* His dictis a Patris latere nunquam discessit, & ut quascunque injurias propulsaret, vigiles oculos ab eo non deflexit, curavitque impensè per totum sequentem diem, ut Pater cymbam ad flumen transfretandum nancisceretur; quod tamen admodum erat difficile, cum Tartari ad revertentes nautas glomeratim irruerent, & ardente festinatione quisque alteri aditum in naviculam præripere conaretur. Porro Tartarus ille, homo minimè barbarus, post fluminis transitum dimissis focis aliquot deinceps diebùs constanter Patribus adhæsit, eisque spontaneum præsidium mirabili sanè fidelitate præstitit, ut ausim credere, hanc bonam mentem ei peculiariter a DEO inspiratam fuisse, qui suos quandoque evidentì prodigiò inter hostium maxima pericula providè munit, & ipsos hostes in custodes servorum suorum convertit.

VII. Oczakoviam demum post se relinquentes per Borysthenis ostia, ubi inter utramque continentem e Cosaccorum agro decurrit, & lato hiatu in mare nigrum exoneratur, rursus hoc flumen transfretari debuit; quod quidem non ità gravibùs stetit incommodis. Exinde tamen intendente brumâ majori frigore sunt conflictati, unde præcipiti equorum cursu inter innumeras ærumnas per vastas solitudines in Crimensem Tartariam contenderunt, quam incolumes etiam attigerunt. Horlow delati, quæ arx est cum civitate in ipso Tauricæ Chersonesi aditu constructa, isthmo insidens, mare nigrum a lacu Mæotidis dividenti. Hic Patres Tartaris permixti, ut custodum

1692.

P. Socius recenset pericula sua.

A Tartaro quodam spontanea protectio.

Mirabilis Dei providentia.

Borysthenem faciliùs transeunt.

In Crimeam perveniunt.  
Horlow.

1692.

Precope in-  
observati  
transseunt.Fossa sic dici-  
tur, & cur?

vexationem effugerent, qui in hac urbe intentis oculis peregrinos observant, multa incommoda evaserunt, & ulterius procedentes in oppidum *Precope* inter promiscuos pariter Tartaros inobservati pervenerunt, a cuius nomine vasta illa veteris Scythiae plaga *Precopensis Tartaria* appellatur. *Przekop* autem *Po-loni* vocant, quod verbum in Latina lingua fossam sonat, nec abludit omen a nomine; nam captivi, qui hanc fossam incidunt, omnibus fugae occasionibus ablati desperatam habent libertatem, nisi hanc pretio redimant. Postmodum quadridui itinere multos vicos, oppidaque peragraverunt; Crimea siquidem regio indigenis refertissima ultra quadraginta millia fanorum Mahometicorum suo gremio complecti dicitur, e quorum numero facile conjici potest, quam frequentibus vicis, oppidisque habitetur. In via passim eis Christiani captivi occurrerunt, quos tamen Patres nondum redimere sunt ausi, donec plenam a Principe redimendi facultatem consecuti fuissent. Tandem die sexta & decima mensis Decembris *Bakcessarium* Regiam Chani Crimensium ingressi, hospitium apud Armenum quendam secta Schismaticum elegerunt.

Bakcessarium  
urbs Crimea.

VIII. Est autem *Bakcessarium* urbs ampla & insignis, profundae valli insidens, excelsis montibus undique cincta. Surgit haec civitas in acclivi colle, cuius flexus secuta sensim in planitiem descendit. Superior pars urbis rupe quadam intercedente bifariam dividitur, Orientalem plagam Armenis, Graecisque incolentibus, quorum plusquam nongentae familiae in hac civitate sedem fixerunt; Occidentalem vero sicut & inferiorem urbis partem Tartaris inhabitantibus. Tria circiter aedium millia suo sinu complectitur; quae inter peculiari splendore ac magnificentia elucet Chani palatium, marmoreis hypocaustis, salientibus fontibus, elegantissimis balneis ad delicias & oculorum irritamenta constructum: reliqua vero civium domicilia, quamvis architecturae regulas parum aemulentur, lapidea nihilominus structuram superbiunt: reperiuntur tamen aequae nonnulla, viliorum scilicet hominum receptacula, argilla & tignis compacta. Urbem modicus amnis lapideo ponte stratus alluit, eique magnam aquarum vim propinat. Paucae sunt viae, quae aditum ad civitatem aperiunt, eaque omnes vivis petris incisae. Sub finem tamen anni millesimi septingentesimi trigesimi sexti Russorum exercitus devictis viarum difficultatibus in hanc urbem penetravit, eamque a Tartaris desertam ferro flammisque vastavit, quingentis circiter domibus funditus exustis; ipso quoque Chani palatio majorem partem in cineres redactum. Sed ut eo revertamur, unde digressi sumus: Patres *Bakcessarium* allapsi alloquium quidem Chani avidè prehensarunt, sed eo publicis negotiis & constituendis per provincias Magistratibus intentum, illud tam cito, ac optaverant, consequi nequiverunt. Dum itaque tædiosa expectatione suspenduntur, nonagesimus secundus pra-

Occupatur a  
Russis. Anno  
1736.



præsentis sæculi annus ad finem decurrit, nulla interim in hac urbe re memorabili gesta, nisi quòd Natalitia Festa Divinissimi Salvatoris nostri JESU CHRISTI Romano ritu in Crimea nostri celebraverint; cæterum nihil eis operari licuit, donec novus Vezirius constitutus fuisset.

1692.

## CAPUT XVI.

*Captiva Redemptio in magno discrimine versatur.*

I. **I**N anni millesimi sexcentissimi nonagesimi tertii principio noviter electus Vezirius (qui post Chanum in tota regione primum dignitatis locum obtinet) habenas Reipublicæ moderandas suscepit. Hunc e vestigio accesserunt nostri, eidemque humilibus verbis adventus sui causam exposuerunt; quòd, videlicet, Institutum esset familiæ suæ captivos Christianos redimere, illòsque a servitute liberos in patriam reducere, ut Galga Sultanus de hac re plenius edoctus, suo esset testimoniò comprobaturus, cujus etiam potissimum suasu & consiliis se relictà Besfarabià in hanc regionem profectos fuisse dictitabant. Ad preces deinde conversi rogabant Vezirium, ut ejus bonâ gratiâ ipsi liceret paucos, quos voluissent, Christianos emere in libertatem, patriamque suam reducendos. Vezirius recenti dignitate tumidus, & pro gentis suæ genio, aut vitio insigniter barbarus, ac prætereà avaritiæ studiosissimus, qui Patres non nisi spe munerum, quibus ditesceret, alloquiò dignatus fuerat, cum videret, nullò se placari munusculò, truculentis minis & acri bile rejecit supplices, attractoque superciliò stomachatus, apagite, respondit, facestant *Jauri* (quò nomine infideles denotant) nèque domò egrediantur, donec id ego ipsis indulsero. Tam crudò & ferocì responsò consternati Patres, omnesque captivi Christiani, qui adstiterant, dejectis in terram oculis hospitium mœsti repetierunt, in carcerem mox convertendum. Hòc ariete admotò arbitrabatur Vezirius posse a Patribus extundi ingentia, quibus unicè inhiabat, munera. Quòd verbum Patres hætenus non cœperant. In hoc itaque domestico carcere detenti longum tempus exegerunt, quin vel minimum indicium apparuisset, ex quo spem concipere potuissent, se facultatem domo egrediendi consecuturos.

1693.

Noviter electum Vezirium accesserunt nostri.

Malè ab eodem excipiuntur.

Hospitium in carcerem convertitur.

II. Equidem boni Patres (ut nunc memini) Vezirii mentem nondum penetraverant, nec crediderant, totum rei cardinem in muneribus exprimendis versari, alioquin enim molestissimam vexationem pridem honorariò aliquò redemissent, & avaritiam, aureà projectà offà, placassent. Sed dum illi ne somniando quidem has artes Vezirii sibi imaginati fuissent, hæserunt attoniti, & quid factu opus anxie dispicere cœperunt. Erigebatur illos quidem Galgæ Sultani præsidium, ille autem longius aberat, *Ackmaceti* existens, oppidò quatuor leucis Bakcessariò remotò, quò locò hujus conditionis Sultani plerumque residere

Oppressionem suam Patres Galgæ significant.

1693.

consueverunt. Hunc adire nostris integrum non erat, ne carcerem violasse incusarentur. Decreverunt itaque tabellariorum operam eum suae inexpectatae captivitatis certiore reddere, atque in hunc finem Socius P. Redemptoris libellum supplicem ad Galgam Sultanum perscripsit, in quo recensitis injuriis sibi hactenus a Vezirio illatis istud potissimum deplorarunt, quod redimendis captivis, quorum causam per tot longinqua & molesta itinera venerant, vacare non possent. Supplices proinde eundem officii & sponte oblatae nuper protectionis atque pollicitationum commonefecerunt. Hanc illi epistolam fidei cujusdam Christiani captivi crediderunt, qui eam ad Galgam Sultanum Ackmaceum clam detulit. Ille postquam ex hoc libello, quid rerum ageretur, cognovisset, sponsonis suae memor, & eorum, quae operam sui ministri in Bessarabia, veluti supra praemissum est, non pridem transacta fuerant, recordatus, gratiam & auctoritatem, quam apud Chanum genitorem valebat, Patribus non solum libertatem, verum etiam facultatem, viva licet duntaxat voce, quoscunque voluissent, potuissentque Christianos captivos liberandi facile impetravit. Hujus rei nuncium e vestigio ad Vezirium expedit, quem serio cohortatus est, ne Patribus Redemptoribus obicem amplius, aut molestiam aliquam crearet.

Liberantur a domestico carcere, & facultas liberandi captivos conceditur.

Dum captivos redimunt, maleficio Vezirii crimen proditoris nostris inauritur.

III. Hanc partem infidam licet victoriam ocyus nostri Redemptionem absolvere, excusosque pedum pulvere regionem illam egredi cupiebant, veriti, ne sibi deterius quidpiam accideret. Paucorum itaque dierum intervallum, cum nonnullos captivos justum & rationabili pretio jam coemissent, de aliis vero praestinandis cum dominis eorum actu tractarent; ecce tibi! ingruente nova tempestate scena repente in lamentabilem tragediam desinit; Vezirius enim, cum vidisset, se priore stratagemate nihil profecisse, extemplo aliam stropham commentus est; subornavit siquidem multos ex praecipuis Tartaris, eosque (vide mihi veteratoriam hominis calliditatem) clanculum instruxit, ut mancipia quidem venum offerrent, sed pretium eorum ultra modum & aequitatem augerent, quod si Christiani Sacerdotes solvere abnuissent, tumultum concitarent, confusaque vociferatione clamarent, signum hoc esse minimè obscurum, eos non redimendorum captivorum, sed provinciae explorandae gratiam in Tartariam venisse, atque adeo apud Chanum severissime accusandos, & juxta leges velut patriae proditores rigide puniendos. Nequiter dictum, nequius factum: ad compositam technam trahebat sui similibus iniquitas, turpisque lucri cupiditas. Concurrent itaque velociter Tartari, & quos habebant captivos e Germania oriundos venum offerunt, sed enormi & irrationabili pretio adjecto; omnes namque studebant ex lucro ditescere, aut nostros perdere. Hanc pretii auctorem dedignati Patres eorum postulatis non assenserunt, aliisque jam redemptis in medium adductis protestati sunt, se ne reliquos captivos quidem majori pretio comparaturos, quam istos emerant, nisi quos natalium praerogativa a plebe secerneret: quod si nollent, sua sibi haberent mancipia. Verum illi actu-

astutum suô intenti maleficiô inconditis clamoribûs omnia repleverunt. Hinc ortus est ad præmeditatam machinationem compositus tumultus, e quo tam vafre architectata proditiōis suspicio in vulgus emanavit. Nec mora, res ad Chani tribunal subito defertur, Patres proditiōis infimulantur, & ad mortis pœnam deposcuntur. Exultat Vezirius, ut qui cupitam prædam in unguibus jam tenere se crederet. In re tamen momenti maximi, qualis est proditiōis crimen, convocatur status consilium, ut plurium suffragiis decernatur, quid in præsentī causâ esset agendum. Vezirius in consilio præfens actor ipse atque iudex cupitæ prædæ inhians, quam cogitatione sua & spe quodammodo jam devoraverat, contra innocentes reos multis argumentis astute confectis investus est; dicebat enim se pridem jam in his advenis proditiōis affectum odoratum fuisse, atque ideo eis licentiam domo pedem efferendi hætenus negasse, & illos quidem se invitò hanc tandem impetrasse, nunc autem rem omnem esse in propatulo, adeoque proditores hos pœnam mortis juxta leges commeruisse, servos verò & coempta mancipia, cæterasque fortunas eorum omnes in laudemium sibi adjudicari jure deposcebat.

IV. O quàm mentita est iniquitas sibi! Hujus enim criminis suspicionem incurrere potuissent, si immodicò pretiò, quò Tartari volebant, captivos emissent, quatenus prætensò Redemptiōis palliò proditiōis studium argutiùs dissimularent. Verùm semper tuta fuit, & quod mirère, etiam hic inter barbaros innocentia. Inter multos occultari non potuit illa mentis perversitas, neque latuit composita Vezirii techna supremum Flaminem, quem Mustium vocant, ut ipsemet postea Patribus ingenuè confiteri non dubitavit. Hic itaque totis viribûs in consilio sese Vezirii conatibus opposuit, & tanquam Legum interpretes declaravit, ea fundamenta, quæ contra Christianos Sacerdotes adducta fuissent, non sufficere ad captivorum impediendam emptionem, quæ aliàs legibûs esset permissa; convenientiùs tamen fore, ut hæc negotiatio extra urbem in aliquem vicum propinquum transferretur, in quo tanta hominum multitudo convenire non solet, ut hoc pacto omnibus tumultibus via incideretur. Sacrificuli hujus sententiæ, cujus apud omnes in dicundo jure magna est auctoritas, suffragabatur imprimis Chanus, & de concilio plerique. Vezirius palàm refragari non ausus, executionem Decreti sibi tamen vendicavit. Et quia perversæ mentis suæ astutiam adhuc sperabat optato successu coronandam, novum excogitavit doli genus; nullâ namque post dissolutum consilium interpositâ morâ, nec indicatâ causâ, cur id fieri vellet, Patres, eorum famulum, redemptos & quidquid secum habebant, in castrum adduci jussit, quod dimidiæ circiter horæ spatiò a Regia distat, Hebræorum incolatui deputatum, & in quo ob egregiam loci munitionem malefici securitatis causâ detineri consueverunt.

V. Cæterùm boni Patres, cum divinare non possent, cur Vezirius tanta severitate in se animadverteret, rati sunt, id non

1693.

Accusantur,  
& ad pœnam  
mortis postu-  
lantur.

Vezirii de-  
lus refutatur.

Mustius ad-  
versatur Ve-  
zirio, & no-  
stram causam  
protegit.

Ejus arbi-  
trium.

Iterum no-  
stri in dete-  
riorem conjis-  
ciuntur car-  
cerem.

1693.  
Redemptio-  
nis pecunia  
in tuto collo-  
catur.

Sub Hebræo-  
rum custodia  
constringun-  
tur.

aliò fieri consiliò, quàm ut in locum, ab hominum commercio re-  
motum, compacti & quasi in carcere clausi omnibùs rebùs suis spo-  
liarentur. Ut itaque P. Redemptor improbas scelestissimi homi-  
nis artes eluderet, eúmque nasò aduncò, ut dici solet, suspen-  
deret, captatò in arena consiliò, omne aurum, quod secum  
attulerat, cuidam illustri viro captivo, cujus nobile in Germania  
genus referre nihil attinet, clam per modum depositi tradidit,  
utpote cujus fidelitatem multìs experimentis comprobata habebat  
& explorata. Ipse verò tacitè præstolari constituit, in  
quem tandem finem hæc fabula esset desitura, aut quid sibi tan-  
dem Vezirius hóc procedendi modò propriè vellet. Omnes in  
castrum adducti, cujusdam viri Hebræi custodiæ traditi fuerunt,  
nullis tamen aliis vincitè compedibùs, quàm severissimò præce-  
ptò pedem extra domùs limen non efferendi. Porrò diu, no-  
ctúque in eodem hypocausto, ubi Patres detinebantur, bini He-  
bræi custodum munere functi, alternatim vigilabant, quibus sub  
gravissima interminatione vetitum, ne ullum Christianorum ca-  
ptivorum propiùs sinerent accedere. Famulo licebat in societate  
callidi cujusdam observatoris Patrum expensis post triduum vi-  
ctùs comparandi causà Bakcessarium ingredi. Et hìc stetit ali-  
quamdiu rei hujus catastrophe.

## C A P U T XVII.

*Carcer diu durat, captivi Patres impetrata ite-  
rum facultate aliquos redimunt captivos. Cesaris apud  
Regem Poloniæ pro captiva Redemptione intercessio.*

Iterum sa-  
pientiam  
suam Patres  
Galgæ Sulta-  
no significavit.

I. **T**Ot inter atroces a Vezirio illatas injurias & acerbissimas af-  
flictiones, quid spei, consiliive capiendum foret, nostri  
diu, multúmque deliberarunt. Vulgus eos prodicionis crimine  
reos diffamabat, ipsi verò nullius ob noxam diutinò ergastulò se  
detineri quiritabant. Causis tamen suspiriis aëra semper fati-  
gassent, nisi tandem gemitus eorum ad cœlum usque penetrassent,  
& Clementissimum DEUM in illorum miserationem flexissent,  
qui secretis modis custodum emollivit animos, eosque ser-  
vis suis tantoperè conciliavit, ut Hebræi contra rigidissimum Ve-  
zirii mandatum unum, alterúmve Christianum captivum ad ca-  
ptivos Patres Redemptores clanculum ingredi paterentur, aut  
certè conniverent, quorum operâ Patres prudenter usi gravio-  
rem suam priore captivitate Galgæ Sultano iterum significavê-  
re, asserentes hanc violentam detentionem dolò Vezirii confla-  
tam in summum ipsius Sultani & Chani genitoris contemptum  
cedere, quorum auctoritas potissimùm peteretur, quod ipsi pro-  
missæ adèò liberaliter protectionis suæ opem eis impendere aut  
non possent, aut nollent. Hæc dum Galgæ Sultano per nun-  
cium innotuissent, vehementer excanduit, præcipitque itinere  
Bakcessarium delatus Vezirio commissam in Patres iniquitatem gra-  
viter exprobravit. Ille verò in omnem eventum & dolum vulpino  
sufful-

Galga incre-  
pat Vezirium.

suffultus pectore præfractè negavit quidpiam tentatum fuisse, quod in Sultani, aut alterius contumeliam tenderet; hanc enim relegationem ex Muffii supremi Flaminis arbitrio & consilii Decreto emanavisse propter querelas a populo adversus Christianos Sacerdotes delatas. Ajebat autem, illos sedata multitudine confestim rursus dimittendos esse. His tamen promissis nihil obstantibus per totum quadragesimale jejunium Patres in illo carcere detenti missionem frustra suspirabant, ita quidem, ut præ tædio, situ, squallore, & ærumnarum illuvie ferè contabescerent.

II. Tandem post varia diverticula Patribus non obscurè fuit insinuatam, Vezirio placere vehiculum affabrè laboratum, quod ex Polonia secum attulerant, nec citiùs fore laxandos, nisi duobus equis adjunctis eidem illud vehiculum donò mitterent. Patres avaram Vezirii mentem tandem aliquando affecuti nihil cunctandum putarunt, & e vestigio desideratum carpentum cum duobus equis ei Bakcessarium transmiserunt, ut abliguritò hòc donò illos deinceps allatrare desineret. Nec tamen his contentus homo sordidus, ut Patres magis exæruscaret, quadraginta leoninos illicò numerari sibi pro literis salvi conductus poposcit; quibus tamen tardè, ut videbitur, receptis; alias interim nummorum angarias pro frequentissimo suo famulitio, atque aliis affaniis solvendas expressit. Quibus omnibus corrasis ne sic quidem Patres carcere absolvit. Solummodò Christianis captivis eorumque dominis copiam fecit Patres liberè accedendi, & cum eis de Redemptione captivorum tractandi. Tantis sumptibus empta fuit hæc adhuc dubia & restricta facultas.

III. Rediviva per hanc qualemcunque facultatem, & quasi ab inferis resuscitata Redemptio per ipsosmet captivos libertatem, patriamque suspirantes dictò citiùs divulgata continuò ex tota vicinia multos Tartaros excivit, qui cum mancipiis ad prædictum castrum confluebant, eaque Patribus licèt adhuc captivis venalia proponebant. Nostri tamen in ipso congressus limine disertè protestabantur, ne captivos auctò supra modum pretiò indicarent, secus re infecta domum repeterent, sibi namque constitutum esse in Budziakensem Tartariam remigrare, ubi captivi multò leviùs venderentur. Hac protestatione præmissa cum plerisque pacificè transactum fuit, justò, moderatòque pretiò redemptis quatuor & triginta captivis; reservata etiam parte nummorum in futuros longinquæ viæ sumptus. Omnes namque moras in regione tam barbara perosi propedièm in Germaniam redire desiderabant.

IV. Ergo dum illi ad iter se accingunt, nova, & ab aliis diversa orta est controversia, quæ cum narrationi huic majorem lucem conciliet, & futuris etiam Patribus Redemptoribus usui esse queat, minimè censo prætereandam: Puella cum Parentibus suis a Tartaris in servitatem abrepta fuerat. Huic rarà fortunà inter barbaros illos homines propitia domina obtigerat, quæ morti vicina dilectam suam ancillam manumisit, verita nimirum, ne ejus pulchritudine propudiosi Tartari pro explenda libidine abuterentur,

1693.

Hic se nequiter excusat.

Munera extorquentur.

Et licentiam emendi captivos concedit.

Captivi justò pretiò redimuntur.

Prævia Patrum cautela.

Controversia de puella manumissa.

1693. quod eis cum libera, si illa abnuat, non licet. Igitur puella libertatem adepta honestissimè vixit, quam tamen hæredes defunctæ postea unà cum parentibus venum proposuerunt, fortè quòd filia, cum finè genitoribus suis nollet in Tartaria remanere, se libertatis jure abdicaverit, & hæredes spe majoris lucri hac opportunitate oblata manumissam puellam cum parentibus mancipiis vendere percupiverint. Innotuit hæc res Mustio regionis sacrificulo, qui protinùs se opposuit, testatus, per leges patrias non licere homini manumisso provinciã emigrare: venderentur igitur captivi parentes, puella verò eorum filia ex ultima defunctæ voluntate libera, in quam hæredibus jus nullum esset, in Tartaria remaneret. Intolerabile accidebat filia vivò utroque parente orbati: parentes vicissim filiam, quam tenerrimè amabant, nefas arbitrabantur in tot apostasiæ, aliisque innumeris corporis & animæ periculis destituere; aut enim filiam secum in patriam abducere, aut si hoc consequi non daretur, & ipsi cum filia in captivitate remanere volebant. Acri inter se digladiabantur conflictu libertatis amor & intima sanguinis cognatio, patriæ desiderium cum necessitudinis officio. His difficultatibus complandis P. Redemptor studiosè insudavit, Mustiumque oppugnare aggressus, cum verbis nihil proficeret, quòdam munusculò facile palmam extorsit; ille siquidem quatuor duntaxat aureis nummis delinitus cervicem pronus submitit, & legis glossam favorabiliùs interpretatus fuit. Quinimò testimonium in scriptis expedit, non obesse legibus, quò minùs filia parentes sequi posset in patriam. Sic dirempta lis est, ac de barbara lege fides pietasque triumphavit.

Salvi conductus litteræ frustra urgent.

V. Tota jam demum absoluta fuerat Redemptio, Patres tamen eòdem adhuc detenti ergastulò post exantlata quatuor omnino mensium tædia liberum suspirabant aërem, & quamvis ideo tot sumptus ab eis fuerint expressi, Salvi tamen Conductus litteræ adhuc nusquam comparebant, licet mensis Majus jam dimidium propè cursum transegisset. Ad itineris subinde curas conversi, statuerunt viæ compendium maritima profectioe facere, & per Pontaviam, Valachiam, Transilvaniam & Hungariam terrestri itinere in Austriam remeare. Aderat jam pridem opportunum navigationis tempus, sed cum litteras Salvi conductus nondum accepissent, crebrioribus nunciis Vezirium obsecrabant, vellet tandem aliquando promissas & persolutas Salvi conductus litteras expedire: petierunt præterea hominem regionis incolam, qui publicâ auctoritate fultus securitatis majoris gratiã Patres & redemptos in Moldaviam usque conduceret, & a vexationibus Tartarorum, quæ passim occurrere solent, tutos præstaret, polliciti, se ejus labores condigna mercede remuneraturos. Verùm quia Chanus & Vezirius omnes cogitationes ad bellicas curas converterant, utpotè quibus pro subsidio confœderatorum Turcarum quantocyùs in Hungariam proficiscendum erat, tempus ad alia negotia non suppetebat. Verebantur etiam, ne si Patres

cum

cum redemptis hominibus præcederent, ipsorum numerus, vires & apparatus eorum operâ Cæsareis innotescerent. Variis itaque tergiversationibus aliam ex alia nectens moræ causam Vezirius litteras expedire detrectavit. Tandem instructis agminibus e Crimensi Tartaria digressi sunt omnes, quin litteræ expeditæ vel postulatus ductor designatus fuisset, quod Patribus haud vulgaris afflictionis materiam præbuit, cum ignorarent, an non Vezirius hoc stratagemate novam in eorum caput fabam cuderet. Sumptus etiam in sustentandis captivis quotidie magis accrescebant, nec videbant exitus sui diem, ideoque a præcedentibus injuriis etiamnum faucii facile inducebantur ad tetras quasvis suspicionum imagines conficiendas, rati, Vezirium hoc astu nihil aliud quærere, quam ut semetipsos cum tempore consumerent, succedenteque inopiâ redempti sensim dilaberentur, aut posthabita libertate pristinos dominos repeterent, & sic rebûs omnibus defecti Patres fame, animique mœrore interirent. Hæc conjecturâ ducti (nihil enim non atrox post tot acerbitatum experimenta ab homine crudelissimo metuebant) sibi quoque alimenta restrinxerunt, exiguæ pultis usu vitam trahentes, ut in longiorem necessitatem, aut mortem victus penuria suppeteret.

VI. His angustiis coarctati, dum sollicitis oculis auxilia undique circumspiciunt, P. Redemptor, quod mireris, in illis tam remotis regionibus occasionem nactus est Patribus Viennam (nescitur quò tabellariò) per secretas litteras præsentem Redemptionis calamitatem significandi; quid enim non molitur mens agitata malis? hæc sanè omnia, quæcunque demum fors, aut casus offert, avidè statim arripit. Hòc nunciò Patres Vienneses attoniti in communi causâ Augustissimum Cæsarem LEOPOLDUM adiverunt, eique rem omnem patefecerunt, ut a Potentissimo Monarcha, CONSILIO & INDUSTRIA glorioso, aliud quod consequerentur præsentium malorum remedium. Optimum factu visum fuit, ut Serenissimus Rex Polonorum operâ Legati Tartarici, qui Aulam ejus sub idem tempus sequebatur, res componeret, suoque patrociniò captivam hætenus Redemptionem in libertatem vendicaret. Quare Augustissimus Imperator ad JOANNEM III. Regem Poloniarum sequentem scripsit Epistolam:

*Humillimè Nobis exposuerunt Patres Ordinis Excalceatorum Sanctissima TRINITATIS de Redemptione captivorum, qualiter eorum Conventualis Pater Maurus unà cum socio, ejusdem Religionis professo, redimendorum captivorum zelò & fervore ductus (obtentâ Leopoli a Tartarorum ablegato Varsavia modò commorante liberi com meatus tesserâ) in partes & terras Tartarorum penetraverit, ambòque in Crimeam usque pervenerint, atque in civitate Bakcessarai, ubi multos Germanos captivos repererint, Redemptionem suam perficere quidem tentaverint, at ex Tartarorum Chani*

1693.

Cur non expeditæ litteræ salvi conductus.

Variæ Patrum suspensiones.

Captivam esse Redemptionem Viennam nunciatur.

Cæsaris epistola ad Regem Poloniam.

1693.

decreto in ea impediti fuerint, & defacto ibidem detineantur, exireque cum Redemptione captiva ante reditum aliquorum Tartarorum, a predicto Chano in Poloniam transmissorum, ipsis non permittatur; suffragii nostri subsidium ad Serenitatem Vestram eum in finem demisse implorantes, quatenus apud praeactum ablegatum efficere haud gravaretur, ut ipse factam per litteras transmissorias dictis Religiosis promissionem adimpleat, iisdemque cum redemptis Christianis tuto emigrandi, atque ad oras nostras se recipiendi procuret facultatem. Et quamvis nulli dubitemus, quin Serenitas Vestra pro laudatissima Sua, tum in captivos, tum hoste Religiosos pietate & benevolentia in eorum desideria ultrò sit propensura; pro eo tamen, ac predictus Ordo, in Litteris Nostris multum fiducia collocat, & nos eundem ob indefessam, quam salutem animarum, eliberandisque captivis ad exemplum usque navat operam, singulari affectu prosequimur, peramanter & enixe a Serenitate Vestra contendimus, velit praeactorum sortem misereri, suamque pro iis Auctoritatem tam efficaciter interponere, ut quod praenominati Patres pie intendunt, quantocyus consequantur; sicque ad exercendum porro erga proximum charitatem magis magisque excitentur. Qui de cetero Serenitati Vestrae fraterni affectus nostri studia propensissimò animò deferimus. Laxenburgi 3. Junii

1693.

## LEOPOLDUS.

Litterae obtentae, dum liberati regionem egrediuntur.

Dubia in litteris asserta expenduntur.

VII. Caesaris haec erat singularis gratia pro Redemptionis Instituto, & redemptoribus nunc in tribulationibus constitutis, solliciti, quamvis haec Litterae ob locorum distantiam, tardiùs quàm necessitas exigebat, obtentae fuerint; eadem enim die tertià Junii, ut inferiùs dicetur, nostri cum redemptis a suo ergastulo jam absoluti Bakcessarium egressi fuerunt. Quòd autem Imperator in sua epistola asserat, Decretò Chani Tartarorum Patres in redimendis Captivis impeditos fuisse, id a P. Mauro sub idem tempus fors adhuc creditum erat, donec a Mufftio postea aliter edoctus, ut paulò superiùs meminimus, illum tamen suam primam opinionem Viennam ad Patres scripsisse facilè assentior. Item in hac eadem epistola mentio fit quorundam Tartarorum in Poloniam missorum, ante quorum adventum Patres non essent dimittendi; id enim verò, ut rem candidè fatear, me prorsus fugit; nec P. Maurus in suis notis hac de re quidpiam annotatum reliquit. Fieri tamen potuit, ut quidam rerum non satis periti ex fortuito aliquo eventu id accidisse suspicarentur, ac deinde suspicionem suam Viennae pro pura putaque veritate venditarent, atque adeò Imperatorem inducerent, ut id ipsum suis litteris insereret.

VIII.



VIII. Cæterum per tres continuas hebdomadas post Vezirii in castra discessum Patres hujuscemodi angustiis, variisque terroribus, metu ac suspicione miserè conflictabantur, donec Misericordissimus DEUS tot exagitados ærumnis consolari decrevit; cum enim illi nihil minùs sperarent, nihil tamen magis optarent, audiverunt, Tartarum quendam advenisse, qui mandatis & litteris, a Chano ac Vezirio in castris expeditis, instructus eos in Moldaviam perduceret. Quò nunciò acceptò ad novam quasi vitam sibi Patres redire sunt visi. Vix autem modicum a præterita tribulatione respiraverant, dum protinùs alia nec minùs gravis successit adversitatis procella; Litteræ namque salvi conductus vel fortuitò, vel ex composita fraude ad uxorem Vezirii devenerant, quas tradere recusavit Harpyiarum una, nisi pro iisdem trecentos leoninos æruscaret, impudenter mentita, se audivisse, Patres post mariti discessum totidem promississe. Iniquissimæ prætensionì validè restitère Patres, & adductis testibus coram Mufftio comprobârunt, illius assertionem esse putidissimum figmentum. Mufftius majorem in modum admiratus fuit, quòd Vezirius tanta iniquitate innocentes Patres exagitare non desinat, exertè subinde testatus, nec Chani, nec concilii mentem fuisse unquam, ut in castrum Hebræorum tanquam malefici & proditores relegarentur, aut libero aère privarentur, astum hunc fuisse Vezirii, eis perniciem molientis. Avara tandem anus pejor maritò, aut certè nec pilò melior causâ cecidit, & in Patrum favorem sententia lata fuit.

1693.  
Ex castris  
Tartarorum  
mittuntur lic-  
teræ salvi  
conductus.

Adversatur  
Uxor Vezirii.

Nostris favet  
Mufftius.

## C A P U T XVIII.

*Carcere soluta Redemptio Euxinum Pontum transfretat, Viennam pervenit, & memorabilis cum uno redempto eventus refertur.*

I. **R** Ejectâ mulieris impudentiâ vi juris extortæ sunt salvi conductus Litteræ, & quæ hucusque Vezirii odiò captiva fuerat Redemptio, libertatem postliminiò recuperavit, quod quidem contigit tertiâ mensis Junii, eadem prorsus die, quâ Viennæ Cæsaris ad Regem Poloniæ Epistola, cujus priore capite mentionem fecimus, expedita fuerat. Libertate obtenta res suas extemplò convasârunt (tot namque exantlatæ injuriæ eis omnem longioris moræ cupiditatem ademerant) & *excussò pedum pulvere in testimonium illis*, ut CHRISTUS Redemptor noster suis suavit Discipulis, cum deputato ductore castrum illud, vel, ut aptius loquar, sordidum egressi carcerem versus Kosloviensem portum eadem die iter instituerunt; quò brevè delati, persolutoque pro singulis capitibus tributò, ut mos illius regionis obtinet, navim conduxerunt, eamque cum omnibus redemptis ingressi prospera aliquamdiu velificatione per Pontum Euxinum usi fuerunt. Ast suborta paulò post tempestate, adversantium ventorum rabie coacti, ter portum illum repetierunt, undè

Redemptio a  
carcere liberatur 3. Junii,  
eademque die  
iter auspica-  
tur.

Lucæ cap 9.

Ad portum  
pro singulis  
solvitur tribu-  
tum.

1693.  
In mari ter-  
ad portum a  
fluctibus re-  
jicitur.

navigationis exordium sumpserant. Tandem per medias, sive  
ut nautæ loquuntur, semiplenas tempestates varia pelagi jacta-  
tione, dubiisque casibus acti, inter innumeras tribulationes,  
famem, sitim, vitæque discrimina nec pauca, nec parva, post  
viginti dierum jactationem Bialogrodum, nobile hodie Budzia-  
kensis Tartariæ emporium, *Moncastrum* olim dictum, incolu-  
mes appulerunt.

Iter terrestre  
per Budzia-  
kensem Tar-  
tariam.

II. Inde digressi, Tartariam Budziakensem intrârunt, eam-  
que licet hostilem adhuc tellurem terrettri itinere securè peragrâ-  
runt; Tartaris enim Budziakensibus ob sociale cum Turcis fœ-  
dus in bellum majore ex parte profectis, capulares duntaxat  
senes cum mulieribus & prolibus domi remanserant, unde haud  
facile in transitu oppidorum repertus est, qui Redemptionem  
auderet laceffere. Captivi autem Christiani in illa provincia con-  
stituti, & ruri, aut rei pecuariæ vel agriculturæ operam dantes,  
cum subinde vidissent redemptos in patriam reverti, alta ex imo  
pectorum trahebant suspiria, mœstisque singultibus deplorabant  
tam optatam sortem sibi præreptam fuisse. Duo nihilominus  
nacti sunt occasionem clam se nostris aggregandi, vir unus ni-  
mirum, & puella quædam octodecim annos nata, ambo e Po-  
lonia oriundi, qui clandestinâ fugâ heros suos dimiserunt, & Re-  
demptos affectati fuerunt; cautè tamen a Patribus recepti, ita  
ut primò ad Moldaviæ confinia dimissò jam Tartarò ductore re-  
liquo redemptorum cœtui immixti fuerint. Hi subinde cum pau-  
cioribus divisim ibant, prout loci circumstantia exigebat, ne si-  
bi vel nostris crearent perniciem: subinde in media nostrorum  
turba iter agebant, ne a cæteris discernerentur, semper tamen  
inobservati tam in Moldavia, quàm in Valachia Turcarum elu-  
serunt perspicaciam. Ubi verò in Transilvaniam pervenissent sub  
Potentissimi Cæsaris protectione omni metu & pavore soluti in  
vicinam Poloniam faustis comprecationibus dimissi patriam suam  
læti repetierunt.

Captivi hæc  
in Tartaria  
constituti  
quoque Re-  
demptionem  
suspirant.

Duo profu-  
gi nostris  
clam aggre-  
gantur.

Usi cautè.

Febri labo-  
rant

Causa mor-  
bi.

Moritur puer.

Viennam  
perveniant.

Processio.

III. Corona, Stephanopolim alii vocant, urbs est & insi-  
gne Transilvaniæ Præsidium. Huc delata Redemptio nonnihil sub-  
sistere debuit; febris enim, quæ plerosque invaserat, importu-  
nam echeneidem ei objecerat. Morbo huic causam præbuit æstus,  
& crudiores de rupibus manantes aquæ in lassitudine largiùs hau-  
stæ: quiete tamen & victus temperantiâ curatis corporibus om-  
nes convaluere, præter puerulum unius anni, qui resumpta pro-  
fectione Tokaini peregrè in Hungaria e vivis excessit, ibidem-  
que comitante redemptorum reliquâ turbâ sepulturam accepit.  
Cæteri verò omnes, qui supererant numerò tres & triginta sani  
& incolumes die decima mensis Septembris Viennam Augustalem  
urbem feliciter attigerunt, summâ lætitiâ, totiùsque populû  
congratulatione recepti.

IV. Die sequenti post tot tantòsque terrâ marique exantlatos  
labores e nostro cœnobio, ut CHRISTO Servatori debitæ per-  
solverentur gratiarum actiones, ad Cathedralem S. Stephani Pro-  
to-Martyris Basilicam solemni ritu instituta fuit supplicatio, in  
qua

qua cives & Nobiles viri, foeminaeque longo ordine effusi redemptos, coctumque religiosum inter hilares tubarum & tympanorum plausus devotè orantes, aut psallentes comitabantur. Dies etsi imbribus foeda non tamen obfuit, quin frequentissimus populus ad plenum pietatis spectaculum concurreret, & fenestras portasque omnes per compita, quæ processio transibat, novitatis mirabundi spectatores obsiderent, plerisque sub pluvio cœlo in lacrymarum imbres diffluentibus, quos pietas ex oculis eorum elicuerat. Pulchrum autem erat spectaculum videre redemptos sacri Ordinis nostri scapulari in pectore ornatos, atque in humeris compedes gravissimi ponderis gestantes, quibus non ita pridem vinculati fuerant, & quas in priori nostra Ecclesia pro anathemate suspensas me vidisse benè memini. Hæc qui cernebant præteritis eorum compassi miseris, præsentis congratulabantur libertati, & felices reputabant, quibus tam beata fors accidisset, ut redimerentur. Ad Basilicam cum supplicatio tandem pervenisset, amplissimum templum vix capere potuit undique confluentis populi multitudinem. Hic Frater Idorus a Visitatione Sacri nostri Ordinis Clericus adhuc in minoribus constitutus, qui primus Germanorum Viennæ vota solemnia nuncupaverat, in ambonem conscendit, & vernaculo sermone ad frequentissimam concionem de captivorum miseris tot præsentibus experimento testibus, deque Redemptionis excellentia, utilitate & necessitate non minùs eleganter quàm eruditè differuit. Post hæc Augustino-Ambrosianus Hymnus intonante P. Michaële a Sanctissimo Sacramento, P. Redemptoris socio, qui ad Principem aram sacris vestibulis more solito indutus consistebat, inter festivos phonascorum concentus, musicosque modulos decantatus fuit, consuetisque precibus adjunctis functio tota finem accepit. In cœnobium nostrum ob effusos e cœlo copiosius imbres, non quidem eo ordine, quò venerant, reverti licuit, sed singuli, prout per intervalla commodius poterant, domum repetière. In cœnobio nostro redempti ad cœnam epulis hilariter excepti, & ingruente deinde nocte per vicinas ædes in hospitia divisi fuerunt.

V. Atque in hunc modum tertia Redemptio desit tribus & triginta in patriam & libertatem adductis CHRISTI Fidelibus, e quorum numero puerulus, ut superius retuli, corporeis quoque vinculis exsolutus ad meliorem vitam transivit. Quamvis autem duos illos profugos redemptorum syllabo minimè accenseam, fateri tamen oportet, eos non aliter, quàm hujus Redemptionis beneficiò libertatem adeptos fuisse; hæc enim illis non modò opportunam fugæ occasionem suppeditaverat, verùm etiam per longum itineris decursum gratis eos aluerat. Sed ut hos missos faciamus, in cæteris sanè repetitò toties in hac tertia Redemptione ternariò numerò, ut vulgaris est gnome, perfectionis quidpiam elucebat, nam ut Aristoteles apud Petrum Bongum censet: *Propterea quòd ipsa Tria omnia sunt, & ipsum Ter in omnem partem se fundit.* Et ut Pythagoræi asserunt: *Ipsum omne, ac omnia*

O O

Tri-

1693.  
Populi concionis.

Concio.

Preces.

Cœna &amp; hospitium.

Redemptorum numerus.

Ternarius numerus laudatur.

1693.

Aristoteles  
apud Bononiam  
de mysticis  
numerorum  
significationibus.  
Virgil.  
Elog. 8.

*Tribus sunt definita.* Ideoque vulgatum est illud Maronis: *Numerus DEUS impare gaudet.*

Redemptorum patriæ.

Dedicatur  
Cæsari Redemptio.

Redempti  
milites novis  
vestibus donantur a Cæsare.

Romæ hæc  
tertiam cum  
prima Redemptione  
secundò  
dedicatur.

Hæc Redemptio  
multis  
stetit laboribus.

Fuit precibus  
pro eadem  
Actoy, cap. 12.

VI. Cæterum ex his redemptis quatuordecim erant natione Austriaci, tres Bohemi & totidem Moravi, Hungari duo, & unus Transilvanus; novem reliqui ex diversis provinciis aliis fuere oriundi. Reperiebantur inter illos sedecim milites, novem mulieres cum tribus infantibus in Crimea a Catholicis parentibus prognatis. Omnia eorum nomina cum cujusque patriæ, sexûs, ætatis, conditionis & lytri descriptione in tabulam relata Augustissimo LEOPOLDO I. Pio, Justo, Felici, VictoriOSO dedicantur sub Psalmi 129. v. 7. lemmate: *Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum Redemptio.* In sequentibus lineolis beneficiorum a Sacra Cæsarea Majestate receptorum memoria, nec non & æviterne nostræ gratitudinis professio declarata fuit, ut videlicet nostra Familia in paterno Augustissimi gremio identidem sollicitè foveatur, & sub Austriacarum Aquilarum patrocínio conquiescat, Cæsareisque gratiis quotidie magis aucta firmiores agat radices, quarum adminiculò fructus uberiores proferre possit. Jure igitur Magno Cæsari totus quantus iste debebatur de captivitate triumphus. Optimus Imperator gratum habuit hoc nostræ voluntatis in suam Majestatem studium; & cum intellexisset aliquos ex his redemptis militaria aliquando sub suis signis meruisse stipendia, eosdem novis vestibus donavit, quibus bicolor Trinitarii Ordinis Crux in assertæ libertatis testimonium in pectore affuta fuit, eisque sicut & cæteris omnibus eadem Cæsareâ liberalitate nummos in stipem & viaticum elargitus fuit. Eorundem redemptorum nomina simul cum sexdecim aliis nuper ab eodem P. Mauro in Budziakensi Tartaria redemptis, P. Petrus a Jesu Ordinis nostri in curia Romana Procurator Generalis, Romæ typicis formis descripta mense Octobri ejusdem anni Celsissimo Principi Antonio Floriano de Liechtenstein Ordinis Fautori Eximio & Cæsaris apud Sanctissimum Dominum INNOCENTIUM XII. Pontificem Maximum Oratori honoris gratiâ secundò dedicavit.

VII. Peragraverant Patres per decursum hujus expeditionis septingenta, & quod excedit, milliaria Germanica, frigore, fame, siti, æstu, carcere, persecutionibus & ærumnis plurimis, ut ostendimus, per menses ferè tredecim toleratis. Cum autem diutiùs abessent, quàm vel ipsi credidissent, vel alii expectassent, & nullus ad initium verni temporis hujus anni nuncius compareret, qui certi aliquid de statu Redemptionis referret, Religiosos Ordinis nostri tam Viennæ, quàm in Polonia magna incessit sollicitudo, ne Redemptioni fortassis sinistra quidpiam accidisset. Ac propterea sicut olim primi Christiani pro Apostolorum Principe Sancto Petro in carcere detento, ita etiam nostri in causa communi pro P. Redemptore ejusque socio sine intermissione ad DEUM preces fundebant: præcipuè Viennensis cœnobii incolæ, qui absolutis Vesperis quotidie stas preces recitabant, ut Divina Majestas periclitanti Redemptioni subvenire, atque opem ferre dignaretur.

VIII. Neque verbis facile explicari valet, quanto gaudiō non solum Religiosi omnes nostri, verum etiam exteri, noti & Ordinis amici exiliērint, cum primus nuncius ex Hungaria allapsus fuisset, qui felicem P. Redemptoris reditum significavit, & in quo statu Redemptio versaretur, exposuit. Postquam autem ipse tandem P. Redemptor advenerat, omnes ei certatim obviam effusi sinem nullum faciebant desideratissimum hospitem salutandi, veteremque amicum officiosissime complectendi. Querebant avidissime, ubinam locorum tanto tempore latuisset? quibus cum ille rerum gestarum seriem breviter exposuisset, patulis auribus excipiebatur, cunctorum linguis in Divinæ Providentiæ laudem effusis, quæ servos suos ex ipsis barbarorum unguibus tam suaviter eduxit, idque eo tempore, quō Mahometani a Christianis internecinis odiis dissidebant, cruentissimo bello invicem commissi. Plerique, quorum aures novitatum studio pruriebant, redemptos domum ad epulas comiter invitaverunt, ut eadem iterum, & plura audirent. Neque in sola plebe, aut inferiore nobilitate stetit fama Redemptionis, sed ad aures quoque Augustissimi LEOPOLDI Romanorum Imperatoris penetravit. Is intellecta periculorum magnitudine, quam P. Redemptor superaverat, majorem in modum demiratus est ejus animi magnitudinem, quod nempe fervente utrinque ferocissimo bello in medios se hostes immittere non dubitaverit, colaudataque viri magnanimitate interdum Cæsare non indigna factetia in eum lusit, dicendo: *Tartarus ille meus.* Urbanè P. Maurum indigitans, utpote, qui per diutinum carcerem in Tartaria, ut communiter dicis causā fertur, civitate sit donatus in sancti fervoris sui multam benè magnam.

IX. Illud autem facetissimum accidit, fuitque per ora hominum potissimum celebratum, quod etiam frequentius in sequentibus Redemptionibus deinde evenit. Res ita se habet: unus e numero illorum Redemptorum, quos P. Maurus secum adduxerat, indigena fuit olim pagi haud procul Viennā disiti. Hic itaque, priusquam a Tartaris in servitutem abreptus fuisset, in viridi adhuc ætate uxorem sibi desponderat, cum qua aliquot annis concorditer vixerat. Postea verò, cum innumerabilis Turcarum exercitus, qui ex omnibus Ottomannici Imperii provinciis ad obsidionem Viennensis urbis confluerat, omnem latè Austriam depopulatus fuisset, ille cum aliis plurimis in rapaces Tartarorum manus incidit, uxore in vicinas silvas dilapsa. Hæc post solutam urbis obsidionem ad sua prædia reversa, cum maritum suum a Tartaris captum sciret, imò & mortuum crederet, quod etiam, nescio quibus testibus, in foro Ecclesiastico comprobavit, alteri viro nupsit. Sed postquam prior maritus ejus in patriam nunc redux, ab illis, quorum olim familiari consuetudine usus fuerat, didicisset, in quo statu res uxoris suæ versarentur, illam incunctanter accessit, seseque legitimum ejus maritum declaravit. Territa mulier, quæ aut virum toto decennio absentem omninò non agnovit, aut saltem eum sibi

1693.  
Gaudium ex  
adventu Redemptoris.

Dictum Cæsaris de P. Mauro.

Mirabile eventum Redemptus quidam reperit uxorem suam vivere cum alio viro.

1693.

ignotum simulavit, quòd metueret, ne de secundo matrimonio adversus Christianam legem contracto poenas dare cogeretur, reducem maritum torvis oculis intuita impostorem compellavit, eumque in magnam & malam crucem abire jussit, adjectis minis, nisi protinus in pedes se conjiceret, se maritum suum accituras, qui ejus temeritatem condigna mercede esset remuneraturus. Ille autem, ut in conscientia tutus erat, verbis mulieris nihil commotus in eadem assertionem perstitit; & ut verbis suis majorem fidem conciliaret, uxori suæ multa arcana in memoriam revocavit, quæ præter ipsum nemo scire potuisset. His perculsa mulier, non tamen confestim acquievit, sed alterius pedis mutilationem ei objecit, indeque deduxit, eum a priore marito esse longè diversum, qui utriusque pedis expeditum usum semper habuisset. Sed ne hoc quidem ei multum profuit; maritus namque illius hanc frivolam objectionem solida protinus responsione diluit, dixitque; se quidem duobus pedibus Austriam egressum, & Tartariam ingressum fuisse, ibi autem enormis frigoris sævitie se nudipedem adedò obriguisset, ut tumore tandem in alterum pedem descendente cutis crepuerit, & purulento ulcere tabida, ad extremum carcinoma contraxerit, cui pellendo cum medicorum manus defuissent, semetipsum Chyrurgi partes suscepisse, & ne pes totus computresceret, atque reliquum corpus inficeret, propria manu, quamvis non sinè maximo dolore partem ejus morbidam amputasse, vulnusque obviis medicamentis, potissimum tamen DEI benignitate persanasse, atque ita instantem mortem evasisse. Sed quidquid ille diceret, nihil tamen persuadere potuit; mulier enim in sua sententia obfirmata surdis auribus verba ejus excepit, ut proinde verus maritus ejus necesse habuerit opem justitiæ implorare. Causâ ad Ecclesiasticos Judices delatâ, ne scandalum latius manaret, foemina confestim a secundo viro separata fuit. Auditis deinde, ac expensis argumentis sententia in favorem veritatis prodiit, legitimò maritò tot documenta contracti sui matrimonii allegante, ut nulli dubio, aut contradictioni locum reliquerit. Decisum proinde fuit, hanc esse legitimam uxorem ipsius. Quod postea tantò magis claruit, quando vir ille notam arborem adivit, sub qua in illa irruptione Tartarorum selectiores res suas, utputà quædam vasa argentea, aliâque utensilia defoderat, quæ etiam omnia salva reperit. His visis uxor ejus ultrà tergiversari noluit. Sed agnitis rebûs, quas prius possederat, maritum etiam agnovit, eique se rursus in conjugem dedit, & cum illo deinceps pacificè vixit. Casus huic similis reperitur in Jure, *Capite cum bellicam cladem. Causâ 34. quest. 1. Donatus tomo 3. variarum resolutionum tractatu 12. quest. 56. num. 2.*

## C A P U T XIX.

### *Descriptio Tartariæ Minoris.*

I. **U**Tile omninò pro majori sequentis Historiæ claritate, nec erudito Lectori ingratum fore confido, si Tartariam  
Mi.

Minorem Geographicò calamò depinxero. Tartaria itaque est vastissimus terrarum tractus a freto *Anian* ad ipsos usque Moldaviae & Poloniae limites diffusus. Nomen accepit a fluvio *Tatar*, sive *Tartar*, qui ex Regno Tanyu oriundus longo firmate per varia regna in mare glaciale, sive Oceanum Tartaricum procurrit. Dividitur universim in duas partes, quarum altera, quae in Orientem se extendit, *Tartaria magna* ab incolis verò *Mogul*, sive *Mongul* dicitur; altera verò quae Occidentem respicit, *Tartaria Precopensis*, aut etiam *Minor* nominatur. Cæterum quia Sacri Ordinis nostri expeditiones in solam citeriorem hanc, sive Tartariam Minorem destinantur, de hac sola impræsentiarum nobis sermo erit.

1693.  
Tartaria  
Magna & Minor.

II. Tartaria Minor ab Oriente Tanaïs fluctibus tunditur, ab Occidente Poloniam & Moldaviam attingit; a Septentrione truncem faciem Moscoviae ostentat; a Meridie autem Ponto Euxino insidet. Longitudo ejus ultra trecenta milliaria germanica procurrit, cui tamen inæqualis latitudo respondet, utpotè, quae montibus, silvis, aut fluminibus coarctata interdum decem, alicubi quindecim, aut triginta milliaria occupat, nusquam verò ultra quinquaginta milliaria se diffundit. Hæc omnis regio bifariam dividitur, in *Bessarabiam* scilicet & *Precopensem Tartariam* propriè dictam, quarum singulae cum alias Provincias & Præfecturas in se complectantur, utramque nunc singillatim perlustrabimus.

Tartariae Minoris descriptio.

III. Prima, nobisque citerior pars Tartariae Minoris *Bessarabia*, ut dictum manet, appellatur, a *Bessis* & *Arabibus*, qui hanc quondam provinciam inhabitaverant, ab aliis *Bessarabia* etiam *Tartaria alba* dicitur, quòd ejus incolae candidas vestes in deliciis habeant. Limites ejus sunt ab Oriente *Borysthenes* fluvius & mare nigrum; ab Occidente *Moldavia* & *Palatinatus Braclaviensis* in Polonia; a Septentrione *Ukrania* & pars ejusdem *Palatinatus Braclaviensis*; a Meridie ostia *Danubii*. Longitudo ejus a Septentrione in Meridiem computata, quadraginta milliaria non superat, cui triginta milliarium latitudo respondet. Porrò *Bessarabia* duas in suo gremio Provincias continet, *Tartariam* nimirum *Budziakensem* & *Oczakoviensem*.

Bessarabia.

IV. *Budziakensis Tartaria* ab ostiis *Danubii* ad *Turlam* sive *Niester* fluvium procurrit, cujus longitudo ab Oriente in Occidentem circiter triginta quatuor milliaria germanica conficit, latitudo autem ejus viginti milliaria ægrè tuetur, interdum etiam in majores angustias contrahitur. Nomen accepit a *Budziakensi* planitie duodecim ferè leucis in longum, quinque verò, aut sex in latum porrecta. Hanc *Tartari* incolunt, nec *Ottomannico*, nec *Tartarico* parentes imperio, sed rapinis se sustentantes. Villæ, sive *Oppida* viliora octoginta, aut nonaginta hinc reperiuntur, urbs verò alicujus nominis nulla. Incolae hujus planitiei sunt *Libertini Scythici*, perpetui *Christianorum* incursores, prædatorésque, quibus sicut volucris ex rapto vivere, & captivos *Podolicos*, *Rufficos*que ad *triremes* vendere mos est. *Hospitari* tamen in *Russia* diu nequeunt, quin mox, ubi partum quidpiam

Budziakensis unde nomen habeas, &c.

1693. est, sese intra sua recipiant gurgustiola, eò, quòd omnes Budziakensis planitiei incolæ decem millium numerum vix excedant. Deserta semper incolunt, cuncta secum, ipsasque suas gestantes ædes. Ubi castra metantur, domunculas suas, in duas ferè plateas distinguunt ad instar nostratium cingarorum. Cibò autem captò, equisque pabulò refectis, stationem mutant, & in alium locum progrediuntur.

V. Cæteri tamen Budziakensis regionis Tartari sunt his multò civiliiores, fixosque pagos & urbes incolunt. Ex his autem primùm facilè locum obtinet *Techinia* sive *Bender*, Caroli XII. Suecorum quondam Regis, a Russis ad Pultavam internecina clade cæsi, receptaculò clara: assidet illa ripis Niefter fluminis, munitissimæque arce superbit, quam aliquot indigenarum millia defendunt, non tamen Tartarorum Chano, sed Turcico Imperatori paret; cui etiam forti obnoxia est *Bialogrod*, aliàs *Moncastro*, sive *Akierman* dicta, non ignobilis urbs, sita ad Vidovum sive Ovidovum lacum, haud procul a Ponto Euxino remotum, qui ab Ovidio Poëta nomen duxisse fertur. Hanc Turca Moldaviæ Principi annò 1485. cum arce & oppido Kilia violenter extorsit, quæ nunc Turcico Præfecto cohibendis Cosaccis, & Moldavis in officio retinendis intento sedem præbet, non sinè grandi Moldaviæ detrimento; cùm Præfectus ille sub specie loca muniendi, aliæque publica opera faciendi, regionem iniquis tributis exhauriat, & centena facilè aureorum millia quotannis corradat.

VI. *Kilia* itidem in hoc tractu urbs est Turcica, mœnibus ad morem Europæarum urbium, propugnaculisque cincta. Civitati imminet arx ad Danubium sita, & unicâ duntaxat leucâ ab ejus ostio remota. In altero Istri litore vetus Kilia jacet, cujus etiam hodiè ruinas spectare licet. *Ismail* sive *Smiele* magna quidem urbs est, sed muris destituitur, ædibusque ligneis sordet. Leucâ unâ ab hac urbe locus est, in quo Osmannus Turcarum Imperator annò 1620. magnum illum pontem extruxit, quando sexcenta secum bellatorum millia ad oppugnandam Poloniam traxit, nullò tamen memorabili facinore edito, nisi quòd vilem arcem Choczyn in margine Tyræ amnis extruxerit, quam tamen Poloni paulò post occupaverunt, licèt eandem brevè rursus amiserint.

VII. Ad Budziakensem Tartariam etiam pertinent variæ insulæ, qualis est *Illanada*, Latinis serpentum insula dicta, parva illa quidem, & duas duntaxat leucas complectens, sed amœna, & ab aqua dulci nobilis. *Palleka* insula Danubium inter & Pontum duobus passuum millibus extenditur. Circularis hæc est, & præceps, arboribus tamen confita, singulisque ferè annis rapido Danubii arroditur vortice, aliàs arenosa.

VIII. Regio universim ob camporum planitiem juxta ac frugum, aliarumque rerum necessariarum fertilitatem tota amœna est, alicubi tamen in valles subsidet, rursusque in clivos molliter affurgit. Metallis auri & argenti non destituitur, quamvis in.



ingenium hominum prædis magis, quàm æri effodiendo insidietur. Abundat pariter armentis, piscibusque varii generis. Equorum generosissimorum hinc soboles inexhausta, vicinis populis vehementer expetita.

1693.

IX. Lustratâ in hunc modum Budziakenfi Tartariâ ordo nunc postulat, ut ad Oczakoviensem transeamus: Hæc a fluvio Niefter exurgens ad fluvium Angulet, minorem dictum, procurrit, & triginta circiter milliaria longitudine sua adæquat, licet latitudine sua alicubi decem milliaria non excedat. Raris colitur pagis, urbibusque rarioribus, quod metus Cosaccorum, qui hanc provinciam semper suis incursionibus infestant, Tartaros nusquam consistere patiatur. Caput hujus provinciæ est urbs Oczakovia Turcarum Imperatori subjecta, & haud procul a Borysthenis ostiis disita. Triremes ibi Turcicæ excubant, ne Cosacci in Pontum Euxinum irrumpant. Portus quidem nullus est, tuta tamen anchoris statio. Sub ipsa arce duo jacent oppida, utrumque clivo montis impositum. Muri arcis viginti ferè pedes in altitudine habent, urbis tamen multò sunt inferiores. Duo circiter incolarum millia in hac urbe reperiuntur. Ad Meridionalem urbis plagam castellum aliud est figuræ planioris, nonnullis tamen instructum tormentis ad utramque Borysthenis (qui totam ferè leucam latus hinc est) ripam in officio continendam. Castrum hoc turrim habet, ex qua Turcarum excubitores Cosaccorum adventum speculantur. Cosaccis tamen risui hæc sunt, cum tam petere, quàm repetere queant Pontum aliâ viâ Turcis incognitâ. Hanc urbem Russi annò 1737. ferocissima trium dierum oppugnatione Turcis extorserunt.

Oczakoviensis Tartaria.

Oczakovia.

X. Leucâ circiter ab Oczakovia versus Africum portus commodus est, dictus incolis *Berezan*. Ostium ejus ad duo circiter passuum millia diducitur, nec trajici nisi navigiò valet. Profundus ille satis est, perviusque triremibus: brachium verò illud *Anczakrik* appellatur. Haud procul a portu Berezan ad Septentrionem recedit lacus *Jezero*, sive *Teligot*, octo longus & sesquiseptem leucis latus. Natura ibidem repagulum quoddam struxit, ne lacus misceatur mari. Abundat piscibus adeò, ut unda ob illorum immensam multitudinem tetrum odorem exhalet, cum nec fluxum, nec meatum habeat: Parvò deinde intervallò ad Occidentem alius lacus se diffundit *Kuialik* dictus, piscosus pariter sicut præcedens. Ad hunc pisces turmatim a quinquaginta etiam milliariibus se conferunt. Captura ibidem carpium est, cyprinorumque stupendæ magnitudinis. Uterque lacus in omnibus ferè mappis geographicis studiosè annotatus visitur.

Berezan.

Lacus Jezero.

&

Kuialik.

XI. Reliqua Oczakoviensis Tartariæ oppida exigui, aut nullius sunt momenti. Major etiam pars incolarum hujus regionis vitam omnem sub dio in campis exigit, & ad instar Nomadum incertis sedibus hinc inde vagatur. Est quidem *Owczj Sorom*, sive *Nova Konicipole* non contemnendum præsidium, & ad hodiernæ architecturæ regulas munitum, sed illud Regi Poloniæ pareret, qui locum istum annò 1634. nobilis cujusdam Galli operâ in

Owczj Sorom.

3693. hunc statum evexit, eoque ceu firmissimò contra Tartaros armamentariò utitur.

*Insulae Tandra & Tavan.*

XII. *Tandra*, sive *Tendera* insula est quatuor leucis a Borysthenis ostio distita. Longitudo ejus ad tria, aut quatuor miliaria procurrit, sterilis cæteroquin, & aliquibus duntaxat tecta dumetis. Aquas tamen bonas, & dulces habet, tutamque in ambitu ad anchoras stationem præbet. *Tavan* districtus quidam est, & insula Borysthenis ad Tartariam Oczakoviensem pertinens. Nominis celebritatem obtinuit a frequenti Tartarorum trajectu, eò quòd amnis totus hic intra se collectus ad quingentos passus vix extendatur. Insula hæc cum vernis inundationibus non subiaceat, commodissima foret Cosaccorum excursibus frenandis, sed ob inscitiam Tartarorum neglecta jacet.

*Oczakoviensis terræ ingenium.*

XIII. Jam quod ipsam Oczakoviensis agri qualitatem attinet, fatendum omnino est, eum vix ulli in tota Europa quidquam de palma concessurum, nisi duo insuperabilia mala eum propè inutilem redderent: Cosacci nimirum & insectorum multitudo; Tartari enim, cum ne horam quidem a Cosaccorum irruptionibus immunem sibi polliceri queant, studium agriculturæ negligunt, obviisque fructibus contenti, quos terra suâ spontè pariturit, carne equina potissimum victitant. Hinc licet tota ferè regio sit plana, undis irrigua, nullisque saxosis montibus aspera, incolæ nihilominus adeò frumentò omnî destituuntur, ac si inter steriles Arabiæ desertæ arenas perpetim versarentur.

*Mala quæ insunt illi terræ.*

*Insectis molestiantur.*

XIV. Alterum tamen malum est priore multò gravius, quòd nimirum regio ista incredibili muscarum, vesparum & locustarum vi singulis propè annis vastetur. Manè ibi conspiciuntur muscæ communes, nec usque adeò noxiæ, in meridie digiti magnitudini nihil inferiores, quæ tanta rabie in equos sæviunt, ut totos eos morfu cruentos reddant. Sub vesperam verò vel maximè grassantur in corpora muscæ, vespæque, adeò, ut ne somnum quidem nisi sub tentoriis, contra hanc pestem probè munitis, capere liceat; qui sub dio noctem agunt, tota facie vesparum morfu tumida manè consurgunt, ut vix hominis speciem retineant. Nobiliores Tartari, ut horum insectorum violentiam effugiant, tentoriis se includunt, singulari arte contra muscarum & vesparum irruptiones constructis, vulgus verò focum perpetuum alit, ut fumi acrimoniâ muscarum impudentiam comescat.

*Remedia contra illa.*

*Locustarum multitudo pejos.*

*Vasseur in descriptione Borysthenis.*

XV. Omnem verò muscarum & vesparum molestiam vincit multitudo locustarum, quæ in hac regione sæpè adeò excrevit, ut ne Ægyptus quidem olim similem calamitatem persensisse credatur; tantus enim horum insectorum hic numerus reperitur, ut fidem omnem superet, & nisi oculatus quispiam testis adsit, fidem vix inveniat narratio. Juvat in hoc loco propria verba Guilielmi la Vasseur, Domini de Beau-plan referre, quæ ex Gallico in Latinum versa ita sonant: *Nubis ingentis instar, ventisque agitata feruntur* loquitur de locustis in Tartaria

Ocza-

Oczakoviensi ) ad similitudinem densissima nivis e caelo ruentis adeò , ut media etiam die , sole lucidissimo , atras aëri corporum objectu tenebras inducant. Vidi ego . . . . tantam locustarum primò natarum , & nondum satis firmis ad volatum alis instruarum copiam , ut universa per circuitum tellus iis operiretur , aërg̃ totus circumvolitantibus adeò infectus esset infectis , ut ne cibum quidem de die in cubiculo nisi ad lucernam sumere potuerim , nec ullus domi meæ locus vacuus fuerit locustarum , plena erant cubilia , plena stabula , plena camerae , & denique cuncta domus anguli pleni locustis . . . . Id tamen utcunque tolerari potuit , at quòd ne cibum quidem licebat capere , id demum intolerabile erat ; ubi enim frustum scindere volebas carnis , scindebas & locustam simul : nec os quidem aperire poteram ad inferendam offam , quin non eodem tempore locusta quoque involaret. Hæc , aliæque plura suprâ citatus auctor refert , qui pluribus annis in his partibus versatus est. Ubi tamen notatum esse velim , non solum Oczakoviensem Tartariam hæc plagâ infestari , sed omnem ferè etiam tractum illum , qui ex utroque litore Borysthenis protenditur ; neque huic pesti avertendæ aliud remedium suppetit , quàm protracta in æstate sex sive septem dierum pluvia , quæ idcirco in his regionibus avidissimè expetitur ; aut vehementior ventorum flatus a septentrione procedens , qui hæc infecta in Pontum Euxinum secum rapit , ibidemque submergit. Sciendum prætereà est , quòd licet aliqui anni reperiantur , in quibus hæc animalcula mitius grassantur , vix tamen ullum esse , in quo profus omninò non grassarentur : Cum itaque harum bestiolarum morsibus gramen omne , & quidquid est in arboribus viride corrodat , homines vix locum aliquem suæ sustentationi aptum reperiunt , unde & Tartaria Oczakoviensis , quamvis nemora multa habeat , multisque fluviis irrigetur , majorem tamen partem deserta squallet , & præter Oczakoviam vix tria , aut quatuor alicujus nominis oppida complectitur , & multa prætereà regionis loca a Cossacis Zaporoviensibus habitantur.

1693.

Remedia  
contra illas.

XVI. Altera pars Tartariæ Minoris est *Gazara* , sive *Precopensis* Tartaria , quæ & ipsa in plures provincias dividitur , scilicet in *Precopensem* propriè dictam , in *Nahajensem* & *Crimensem*. *Precopensis* propriè dicta ab Oriente habet *Nahajensem* , ab Occidente *Borysthenem* , a Septentrione *Moscoviam* respicit , a Meridie verò illam partem attingit *Ponti Euxini* , quæ sinus *Nigropolis* cognominatur. Longitudo ejus ab Oriente in Occidentem quinquaginta milliaria non transgreditur , latitudo verò ejus inter sinum *Nigropolitanum* & *Borysthenem* paucis milliariis acquiescit , ubi tamen *Moscoviticum Imperium* attingit , viginti , & interdum triginta milliaria conficit. Hæc ipsa quoque Tartariæ plaga paucas urbes numerat , sed tantò plures *hamaxobiorum* pagos , qui domos suas & utensilia in plaustris circumferunt ,

Tartariæ Pre-  
copensis de-  
scriptio.

Hamaxobii  
qui sint ?

1693. & ibi potissimum sedem figunt, ubi majorem pabuli copiam nanciscuntur.

*Sterlnicza.* XVII. Loca hujus provinciae, quae caeteris claritate nominis anteferuntur sunt *Sterlnicza*, *Megaricho*, *Pidea* & *Precop*. *Sterlnicza* oppidum est moenibus cinctum Ponti Euxini litori assidens, & haud procul a Borysthenis ostio remotum. Domus habet centum circiter & triginta, contemptibili structuram ignobiles, utpote, ex argilla & ligno compactas; mercatores tamen Turcici eam interdum suis manibus visitant, unde loco aliqua celebritas accrevit. Haud procul *Sterlnicza* ad Occidentem distat *Ostam Kirmen*, arx quidem murata, sed ob assiduos Cosaccorum incursum a Tartaris deserta. *Megaricho* oppidum est in eodem litore maris nigri, magis tamen ad Orientem recedens, sordidis itidem aedibus squallens, & adversus Cosaccorum irruptiones tumultuario opere munitum. Nec meliore sorte gaudet *Pidea*, quamvis ob viciniam Tauricae Chersonesi aliquantò frequentius habitetur, & ab advenis ac peregrinis, in Crimeam transituris, crebrius accedatur. *Bonus portus* urbs est in margine ejusdem maris extructa, & ob portus praestantiam prioribus aliquantò nobilior; hac namque commoditate allecti, non solum Turcici, sed etiam Gallici mercatores, a quibus *Beau port* dicitur, eam suam praesentiam saepius illustrant, suisque mercibus ditant.

*Precop.* XVIII. *Precop*, quam Poloni *Przekop*, id est fossam, Tartari verò *Or* appellitant, urbs fuit non contemnenda, firmissimae arce munita & quadringentis circiter domibus conspicua. Sita est in ipso Isthmo sive aditu Tauricae Chersonesi, qua parte continenti jungitur. Huic fossa praetendebatur ab uno ad alterum maris latus tanta profunditate, ut insuperabilis videretur, ipso praesertim Chano cum exercitu centum millium Tartarorum pone eam excubante. Nihilominus tamen anno 1736. Russicarum copiarum Archistrategus Munichius eam transcendit, Tartarisque profligatis urbem cum arce in deditionem accepit, & elapsis aliquot mensibus munimenta omnia diruit, murisque nitrato pulvere in aërem excussis locum ita subvertit, ut non nisi vestigia illius appareant.

*Ingenium terrae.* XIX. Ager Precopensis satis est fertilis, dummodò coloni non deessent, qui eum diligentius excolerent; sed ob perpetuum Cosaccicarum & Russicarum irruptionum metum nemo Tartarorum est adeò vacors, ut manum stivae admovere, laborésque suos dubiae forti exponere velit. Densa hic silvae passim occurrunt, Nomadum Tartarorum latibula. Nec desunt lacus, ex vicinia, si benè reor, Ponti Euxini orti, in quibus peculiariter celebrantur quatuor paludes non procul a deserta arce *Ostam Kirmen* distantes, ob ingentem vim salis, quae solaribus radiis ibidem excoquitur, & in omnem latè Tartariam saliti humoris caeteroquin expertem avehitur.

*Tartaria Nahajensis.* XX. *Tartaria Nahajensis*, quae ab Isthmo Crimeae ad Tanaim fluvium procurrit, ad nonaginta milliaria germanica protenditur, totamque paludem Maotidis ambiens Cabardinos & Cubanos Tartaros attin-

attingit. Urbes hic & munita loca plura occurrunt, in quibus eminent *Assovia* ad ostium Tanais fluminis extructa, & præter firmissima propugnacula ad hodiernæ architecturæ normam condita, quatuor etiam arcibus munita, ut proinde haud immeritò ex ista parte clavis Imperii Turcici censeatur. Eòdem annò 1736. a Russis expugnata Moscovitico Imperio accessit. Sed cum Religiosi nostri hanc Provinciam non frequentent, fusiore ejus descriptionem, tanquam à nostro proposito abhorrentem consultò prætermittimus. Adde, rem plenam esse difficultatis inter tot pugnantes Geographorum sententias genuinos Tartariæ Nahajensis limites assignare, qui de hac re non minùs inter se contendunt, quàm tres illæ in fabulis quondam Deæ de pomo Eridis. Si quid tamen mihi tribuitur, arbitror, totum illum tractum a Borysthene ad Tanaim diffusum Tartariæ Precopensis nomine appellandum esse, nec aliter Nahajensis Tartariæ nomen irrepsisse autumo, nisi a vicinis Tartaris Nagaitis, Russorum Autocratori vestigalibus, qui cum morum feritate Precopenses æquent, imò & superent, vocabulum quoque suum Christianis Scriptoribus commodasse videntur, ut ob affinitatem morum partem illam Tartariæ Precopensis, quæ a Nagaia proximè abest, eodem nomine insignirent. Quidquid sit, ego Geographorum verbivellationes minimè moror, sed ad id, quod institui, Tartariæ scilicet Crimensis descriptionem gressus recipio.

XXI. Hæc itaque *Tartaria Crimensis* est famigeratissima illa peninsula, quæ sub nomine *Tauricæ Chersonesi* apud veteres celeberrima fuit. Undique mari cingitur, demptò exiguo quòdam Isthmò, qui eam a Septentrione continenti adnectit. Longitudo ejus, quamvis & ipsa variis Scriptorum placitis exagitetur, mea tamen opinione, si ab oppido *Ciprico*, quod freto *Cassensi* accubat, usque ad Occidentale caput *Rozasali* computetur, sexaginta milliaria germanica superabit; latitudo verò ejus a Septentrione in Meridiem plusquam triginta milliaria germanica conficiet. Hæc tamen longitudo & latitudo non est ubique æqualis; cum enim hæc peninsula vitis folium exteriori suâ figurâ referat, frequenter in angustias contrahitur. Istud inter omnes Scriptores convenit, hanc peninsulam ob incredibilem soli ubertatem, aliâque naturæ dona adeò excellere, ut paradisus quidam terrestris citra injuriam dici queat; unde non pauci Tartari agriculturæ commoda sentientes terram operâ Christianorum mancipiorum haud perfunctoriè excolunt.

XXII. Est autem hæc provincia admodum populosa, frumentò & fructibus quasi spontè e terra nascentibus, vitibusque nobilissimum vinum parturientibus. Sale pariter, melle, cerâ, & variorum piscium copiâ abundat. Triginta quondam clarissimi nominis civitates in ea numerabantur; quarum et si fortassis hodiè non inferior sit numerus, par tamen minimè est decus. Nomen accepit ab urbe *Crim*, quæ Ptolomæo *Taphras* & Plinio *Taphra* fuit. Hæc quondam sedem præbuit Tartarorum Chanis: variis deinde bellorum tempestatibus jactata, hodiè ad centum

1693.  
Assov.

Varie sententia Geographorum de Tartaria Nahajensi.

Tartariæ Crimensis descriptio.

Fertilitas illius.

Crim.

1693.

ædificia redacta est, regia fede in urbem *Bakcieffarai* translata, cujus succinctam descriptionem, cum in præcedentibus dederimus, eandem crambem recoquere nolimus.

Cbersona.

XXIII. *Cbersona*, claræ illius quondam Græcorum coloniae, totiusque peninsulæ urbis nobilissimæ veterem magnificentiam admiranda ejus rudera etiam hac nostra ætate manifestè testantur. In extremitate supradicti Isthmi ad utramque ripam maris adhuc se ingerunt oculis turres plurimæ, eæque pergrandes, cum magno muro, altissimoque, ex sectis lapidibus erecto. Amplissimi porro aquarum ductus ad ipsa usque urbis mœnia pertingunt. Tota hodiè habitatoribus vacua ostentat viatori vanitatem sæculi & fortunæ ludibrium. Turcæ insigniores columnas marmoreas, a tempore, quò sunt Domini Chanorum, spoli locò per mare ad suas regiones avexerunt. Ædificia humi prostrata & solo æquata jacent. Duas portas æris Corinthii, quas Græcorum Presbyteri regias vocant, cum imaginibus nobilioribus a Græcis Kioviam delatas, & inde a Boleslao II. Poloniae Rege Gnesnam avectas, Russorum & Polonorum Annales memoriæ prodidère.

Cassa.

XXIV. *Theodosia*, quæ hodiè *Cassa* dicitur, ut pleraque regionis loca in barbara desciverunt vocabula, munitissima est urbs Tartariæ Crimensis, quæ olim Genuensi Reipublicæ paruit. Hodiè Turcicus Præfectus sedem in ea obtinet. Tartarorum pauci hanc incolunt, majorque pars civium fidem Christianam profitetur; omnes tamen utuntur operâ mancipiorum a Tartaris emptorum, qui ea ex Polonia & Moscovia adducunt. Templum duodecim hic sunt religionis Græcanicæ, triginta duæ (ut perhibent) sectæ Arianæ, & unicum duntaxat Catholicæ fidei, Apostolorum Principi sacrum. Ædificiorum quina, aut sena millia in hac urbe censentur, mancipia verò ultra triginta millia; indigenæ siquidem hujus regionis non alio, quam tali servorum genere utuntur. In hac urbe mercatura maximè floret, incolis Constantinopolim, Trapezuntem, Sinopem & in alios Euxini maris portus negotiantibus.

Cosefowa.

XXV. *Cosefowa* urbs est perantiqua, Tartarorum Chano subiecta in Orientali regionis plaga æquori venustè assidens. Portu gaudet valdè commodò, & plusquam duo ædium millia latò suò sinu complectitur. *Alma* vel *Foczola* pagus est, quinquaginta circiter domos continens, & idcirco potissimum memorabilis, quòd templum Catholicæ Religionis consecratum & honoribus S. Joannis dedicatum ibidem vigeat; multi namque Catholici Christiani passim in hac regione reperiuntur; reliquæ nimirum veterum indigenarum, qui sub dominio Reipublicæ Genuensis, cui quondam pars maxima hujus peninsulæ paruit, Catholicam fidem complexi eam in seros nepotes transfuderunt.

Alma.

Templum S. Joannis.

Baluelava.

XXVI. *Baluelava* sive *Jambol* celeberrimi nominis urbs & castellum in Occidentali litore hujus regionis consurgit, Turcarumque Imperatori obnoxia est, ubi triremes, ingentesque phaseli ad usum Ottomannicæ portæ fabricantur. Portus illius est unus ex optimis, pulcherrimisque totius mundi portibus. Os ejus ad

pas-

passus circiter quadraginta patescit, octingentis ipse longus & quadringentis quinquaginta latus. Naves in eo semper fluctuant, nec ulla tempestate jactantur, idque propter montes altissimos eundem quasi concludentes. Urbs cæteroquin cum arce bellicis munimentis egregiè cingitur, solùmque castellum centum & quinquaginta ædificia continet. *Mancup* invalidum castrum est in monte *Baba* situm, & a solis Judæis habitatum, qui sexaginta circiter domos hic possident.

1693.

*Mancup.*

XXVII. *Karasi* idiomate Turcico *nigrum aquam* significat, quò etiam vocabulò mare nigrum intelligunt; hic autem hujus nominis urbs est non ignobilis, quæ licet splendida palatia non ostendet, habet tamen insignis operis Moscheas (nomen est fanorum Mahometanorum) & duo circiter domuum millia in suo circuitu fovet. *Tussa* Salinis inclyta ædes continet octoginta. *Kerci* circiter centum, *Akmacetia* ferè centum quinquaginta. *Arabata* vel *Orboteca* castrum est lapide constructum, turrim habens in Isthmo peninsulæ positam. Isthmus hic octavam duntaxat milliaris partem latitudine tenet, & utrinque repagulum habet. Locus iste Tartarorum Chano equilis usum præstat, in quo septem circiter equorum millia aluntur. *Coslovias* est nobile emporium Crimenis Tartariæ lapideis ut plurimum ædibus extructum, & non solùm a Tartaris, sed etiam Turcis, Hebræis & potissimum Armenis habitatum, qui aliquot suæ religionis in hac urbe Ecclesias obtinent. Assidet Occidentali peninsulæ litori, portuque commodò gaudet, quem Russorum copiæ item annò superius memoratò 1736. in conspectu totius Tartarici exercitûs superârunt, urbemque occupârunt, cui post suum discessum non parvam vastitatem reliquerunt. Insignis præterea est pagus *Sortaßus*, in quem Legati exterorum Principum divertunt. Incolitur locus iste a Christianis, Græcis, Armenis, & Latinis, quorum ultimi etiam publicum templum hic habent. Tristia verò Templorum & Monasteriorum rudera per totam passim peninsulam occurrunt.

*Karasi.*

*Tussa.*  
*Kerci.*  
*Akmacetia.*  
*Arabata.*

*Coslovias.*

*Sortaßus.*

XXVIII. Ab urbe Baluclava Caffam usque tota ora maritima quasi præruptè pendula cernitur. Reliquus tractus a Meridie versus Orientem in planitiem exspatiatur. In hac planitie frequentes visuntur pagi Tartarorum illorum, qui vagabundi mapaliis plauastro impositis Budziakensium more degunt. Duplici & prælonga montium serie tota regio interfecatur, quorum altera pars nomen ab urbe Baluclava accepit, altera ab urbe *Karasi*. Ambo tamen vulgò montes de *Baba* nuncupantur. Ex his montibus scaturiunt septem flumina, arborum opacitate amœna, quæ totam hanc peninsulam irrigando fœcundant, e quibus *Cabasfa* in utraque ripa vites optimæ notæ producit, *Sagresus* verò hortorum & fructuum fertilitate inclytus est. Possent etiamnum plurium oppidorum nomina referre, cum tota hæc regio oppidis & vicis scateat, sed quia prolixior esse nolo, reliqua silentiò prætereo, celebriora loca descripsisse contentus.

Septem flumina, quorum unum *Cabasfa* alterum *Sagresus*.

1693.  
Marmoribus  
abundat.

In Crimea S.  
Clemens Papa  
martyriò co-  
genatur.

Anniverfa-  
riū miracu-  
lorum.

XXIX. Verùm temperare mihi non possum, quin adhuc aliquid de montibus Crimeæ addam, qui diversi generis & coloris marmoribus prægnantes sunt; nec omittere queo, quòd nimirùm vetus hæc Taurica Chersonesus in Historia Ecclesiastica non minùs quàm ipsa Græcia celebris fuerit; quinimò jam tempore nascentis Ecclesiæ Crimea plurium Sanctorum Martyrum sanguine irrigata noscitur; in quibus agmen ducit S. Clemens Apostolorum Principis Romæ Discipulus & in Cathedra Successor, qui ad eandem peninsulam a Trajano Imperatore relegatus bis mille reperit Christianos ad secunda, eruendaque marmora damnatos. Clemens verò Pontifex, quia populo Christiano meritùs & miraculis argumentum erat constantiæ, jussu Præfidis alligatâ ad collum anchorâ in mare præcipitatur, ubi quoque ad litus orantibus Christianis mare quotannis ad tria passuum millia recessit, & ad ædiculam marmoream, angelicis fabricatam manibus, & urnam lapideam, ubi conditum erat S. Martyris corpus, præbuit accessum, uti constans semper fuit & inconcussa Ecclesiæ traditio.

## C A P U T XX.

### *De moribus Tartarorum & Christianorum inter eos degentium periculis.*

Bruffii de Tar-  
tariis diarium  
fabulis scater.

I. **S**I Guilielmo Bruffio fidem adhibere velim, nulla erit sub sole prudentior & justior natio populò Tartarorum. Non miror tamen, illum hallucinatum fuisse, cum ferè totam narrationem suam ex verbis Tartarorum Legati a Chasgero Precopensium Tartarorum Chano ad Regem Poloniæ missi & omnia in majus attollentis contexuerit. Istud tamen majorem in modum demiror, tot anniles fabellas apud virum literarum minimè rudem fidem invenisse. Quis enim sibi a risu temperet, dum tot inaudita portenta de Tamerlane Tartarorum Imperatore in ejus de Tartariis diario legit? Ego Bruffio confutando studium minimè devovi, istud solùm per parergon annotare volui, mihi duo probatissimæ fidei Persarum Chronica, & quid dissimulo? ipsum quoque Mirkondum ad manum esse, qui longè alia, nec res adeò portentosas de ortu & obitu Tamerlanis referunt, qui tanquàm cœvi Scriptores multò majorem fidem merentur, quàm hesternus ille Tartarorum legatus, ex quo satis, superque claret, illud Bruffii diarium infirmis admodùm basibus inniti. Ego in ejus fabulis perstringendis tempus terere nolo, sed certiora nunc de Tartarorum moribus referre aggredior; ea enim quæ præmissi in hunc tantùm finem scripsi, ne, si quis in Bruffii diarium inciderit, me falsitatis alicujus insimulare ausit, qui ab eo in plurimis recedo, & potiora duxi, quæ a captivis redemptis, ipsisque Patribus Redemptoribus tanquàm testibus oculatis, ut plurimum mutuavi.



II. Igitur Tartari sunt plerumque staturâ breves, itâ ut proceriores inter illos nostrates mediocres non superent. Membra tamen sunt iis vasta & benè disposita, humeri lati, collum perbreve, caput crassum, vultus ferè globosus, frons latior, oculi parvi & nigricantes, multùmque interjectis lineis cruenti, nasus brevis & simus, os angustum, dentes candidi, color faciei subrubeus, crines atrii, & jubis asperiores equorum. Totò denique cœlò physiognomia eorum a Christianis dissidet; simillimi sunt Indis Americanis circa Maragnonium fluvium habitantibus, hisque, qui Caraibes, sive Cannibali appellantur, ut illi testantur, qui utramque gentem viderunt. Plerique eorum robusti sunt, & bellicosi, laboribus indefessi, aëris inclementiam facillè tolerantes, tumultuariis tamen incursionibus, quàm statarie pugnae magis idonei. Matres parvulorum suorum cutem longo tempore sale fricant, tam ad condensandam pellem, quàm ut eos contra gelu invictos reddant, si hyeme fortassis flumina natatu sint superanda.

III. Equites sunt expediti, sed pedites nullius ferè pretii: neque verò pedibus ingredi valdè solent, sed semper vehuntur equis, licèt perexiguam eis iter conficiendum sit. Honestum habent, & signum magnificentiae, si campanula a collo equi pendeat clarum tinniens. Clamosi admodum sunt, & voce stentorea utuntur, etiam cùm familiariter colloquuntur: cantantes verò si audias, lupos ululare dejerabis. Panis usum multi ignorant, sed carne plerumque equina vescuntur, hanc præ bovina, ovina & hircina eligunt. Equum tamen rarò mactant nisi morbidum, aut laboribus deinceps inutilem, nec ab esu illorum equorum abstinent, quos morbo cecidisse cognoverunt, a morticinis nihil abhorrentes. Hinc collige, quàm parùm delicati sint Tartari. In capiendo præterea cibo, potuque valde immundi sunt, cùm neque mensas linteò sternant, neque manus lavent. Oleribus & leguminibus non vescuntur, sed ferè solum carnibus animalium, ne a canibus quidem, fellibusque abstinentes, solos porcos extra ciborum genera esse rati cum Hebræis & Mahometanis damnant. Fide contestatus est quidam, se nunquam sinè horrore eos convivantes aspicere potuisse; vidisse siquidem, quòd carnes semicoctas, & equinas ferè crudas avidissimè devoraverint, & cutes equorum a recenti laniena fumantes & paulò ante bestiis detractas vel pro tapetibus, vel pro sedilibus corporibus suis subjecerint.

IV. Lac equarum tanquam vinum Cretense admirantur, & epotant, quod supra memoratus Brussius in Diario de Tartariis ad Georgium Talbotum Anglum etiam fatetur, imò & plura: *baustò*, inquit, *etiam pro vino sanguine, lac quoque equarum tanquam singulare quoddam adversus famem, sitim, æstumque præsidium in deliciis habent.* Et paulò superius idem refert, inquiens: *ut à teneris, ut dicitur, unguiculis assuescant, pueri lactantes canum lacte aluntur.* Hoc postremum vix apud alium bonæ notæ Scriptorem reperietur. Nefas habetur apud ipsos, si quidquam ex

1693.  
Forma Tartarorum.

Parvulos suos sale fricant.

Pedibus ire dedignantur.

In sermone clamosi.

Equina carne vescuntur.

Immundi & sordidi.

Lac equarum potant.

1693. cibo, potuque pereat, unde ossa non prius canibus projiciunt, nisi prius omnia sollicitè abroserint. Adeò autem fordidì sunt & avari, ut rarò sanum aliquod animal occidant, comedantque, sed expectent, donec vel claudum fiat, vel debile, vel denique morbò, aut seniò confectum. Cæteras gentes omnes, quin & ipsos Turcas, præ se contemnunt Tartari. Christianos etiam canes appellant, & infideles & idololatrias. Magicis artibus, & interpretationi somniorum sunt apprimè dediti. Desideriis suis modum ponere adeò ignorant, ut rem desideratam, si ejus aliunde compotes fieri nequeant, vi admotà rapiant, modò is non sit Tartarus, qui eam habet, putantque hoc ità sibi licere. Si quis Tartarorum externum quendam hominem & peregrinum in via offendat salvi conductus litteris non instructum, eum captum pro mancipio sibi vendicat. In commodando argento gravem exercent usuram. Neque unquam erogant egenis eleemosynas: si quis tamen cœnantibus, compotantibusque superveniat, hunc cibi, potusque sui liberaliter compotem faciunt.

V. Promissorum apud Tartaros nulla ut plurimum constantia & veritas, quin sub hoc umbraculo maximam erga dedititios exercent crudelitatem, quasi cum Lyfandro illo Spartano dicerent: *Pueros taccillis, viros autem juramentis fallendos esse*. Impuditiæ vix ulla gens sub sole adeò dedita est, ac Tartarorum Natio; etsi enim singuli tot habeant uxores, quot alere possunt, nec ullis consanguinitatis gradibus matrimonia inter illos prohibeantur, flagitiosè tamen inquinantur execrabili sodomie crimine, ut proinde facilè aliquis conjicere possit, quàm periculosus sit status Christianorum captivorum in medio populi adeò libidinosi versantium. Bestialitatem cum quibuscunque jumentis in campis & ubique palàm & liberè conspiciuntur exercere. Ritus autem celebrandi matrimonii (ut a quodam ex nostris redemptis habeo, qui plurimis annis inter Tartaros Budziakenses mancipium servierat) hic est: Quando filia ad nubiles annos pervenit, pater ejus, vel eò defunctò proximus consanguineus puellæ maritum quærit, quem dum in dotem consentientem nactus est, Mufftium eorum sacrificulum cum futuro genero & testibus accedit, expositâ causâ coram illo declaratur puellæ patris & generi consensus; mox hi duo conjungunt dexteræ manûs pollices, his addit pariter & suum Mufftius, & suâ sinistrâ manu arctè constringit omnes junctos tres pollices, solemnia simul verba murmurat, & factum est matrimonium; quamvis nec sponsus, nec sponsa se unquam viderint. Conjugem nemo appellat, nisi eam, quæ viro sobolem peperit, neque etiam dotem propter nuptias accipiunt, antequam pepererunt: unde licet viris steriles repudiare, & alias in earum locum adsciscere: adulteria tamen certa & constituta ex lege puniuntur. Habet autem inter Tartaros, qui urbes incolunt, unaquæque uxor suum peculiare cœnaculum, famulitium & velut parvam quandam ex propriis suis mancipiis familiam, vivuntque singulæ castè, atque temperanter.

Cæteras gentes despiciunt.

Magicis artibus dediti.

Raptores.

Usurarii.

Promissis nulla fides.

Cornelius Nepos in Lyfandro.

Impudici.

Eorum sodomia.

Et bestialitas.

Ritus celebrandi matrimonia.

Uxores licet repudiare.

Adulteria puniunt.

VI. Sæpè non habent tot pecora, quot mancipia, quoniam plagii scelus inter genera facultatum suarum ponunt. Mercatum ità exercent, ut exteris ex ulteriori Ponto & Asia vestes, equos, arma & similia advehentibus ipsi vicissim totas naves mancipiis oneratas remittant. Emporia ipsorum & telonia hoc mercium genere fervent. Suffurantur autem homines Russos, Moldavos, Valachos, & undecùnque possunt, solis parcentes Tartaris sui sanguinis; unde Judæus quidam in Isthmo Tauricæ Chersonesi telonio præsidens, & innumeram hominum multitudinem trahi illuc videns, quæsit ex Polonis, utrùm adhuc homines in eorum regione superessent?

VII. Nunc, quis gentis vestitus sit, perstringemus. Tartari utuntur indusiò brevi ex gossypio contextò, & infra cingulum dimidii tantùm pedis longitudine defluente. Nobiliores interulam linteam gossypio subductam, gestant, cui togam ex panno, vulpina pelle subfutam, superinjiciunt. Ocreas ex corio rubro sinè calcaribus portant, flagellum calcarium locò inter equitandum adhibentes. Tenuioris fortis homines pelle ovina se contegunt; planam partem calidò, pluviòque, villosam verò partem frigidò cælò corporibus applicantes. Ad hunc modum vestiti æstatis tempore, vel in pluvia metum nonnunquam incutiunt his, qui in agris casu in illos incidunt, quippe procul monstra equis insidentia putares. Ditiores vestiuntur pannis sericeis.

VIII. Cæterùm omnis Tartarorum natio, quæ hic & alibi terram premit, gens est inculta, atrox & rapida, neque unquam a feris Majorum descivit moribus. Fines illa suos dum egreditur, id facit rapinæ studio: agmine namque coacto, *Hordas* ipsi suò idiomate vocant, id est castra, in modum exercitûs in vicinam Podoliam & Ucrainiam improvisè effunduntur, vicos irrumpunt, diripiuntque, & obvia quævis ferrò ac flammis depopulantur. Levi utuntur armaturâ, acinace, arcu & pharetrâ; sagittas venenò imbuunt nocentiorum in pestem. Sic nullo quasi onere gravati equi cursu feruntur perniciosissimo. Nemo est inter eos, qui non duos, aut tres equos secum ducat; quod si enim aliquem itineris longitudine fatigatum animadvertant, in ipso cursu de uno in alium, ut eum onere sublevent, dexterimè transiliunt. Proinde haud immeritò de his rapacibus accipitribus illi versus usurpari queunt, quos Poëta Mantuanus de aliis hujus farinae hominibus quondam protulit:

- - - *Durum a stirpe genus semperque recentes  
Convectare juvat predae & vivere raptò.*

Et profectò prædæ aviditate omnis moræ impatientes munita nunquam adoriuntur oppida, nec aperto Marte occurrenti hosti congregiuntur, nisi adversariorum quemlibet decimò superent; ad omnem namque acriorem impressionem terrentur in fugam proni; sed imbelles obruant populos, senes & invalidos enecant, viros robustiores & adolescentes, nisi armatâ manu libertatem

1693.  
Commercia.

Vestitus.

Grassatores  
regionum.

Virg. Æneid. 9.

1693.  
Catena ad  
colligandos  
Captivos.

ad mortem usque tueantur, in vincula cogunt, quorum sæpè plures triginta, vel sexaginta in prælonga catena æquò intervallo a se invicem separatos vinciunt, ferreis nexibus miserorum colla manúsque ligantes, ut eos in barbaram servitutem abstrahant. Hujusmodi catena cum suis pendulis numellis Gumpendorffii in urbis Viennensis pomœriis adhuc visitur ad turrin forniculæ molendini Ordinis Prædicatorum affixa. Matronas & formosiores puellas abigunt velut gregem pecorum, quæ, ut spurca gens sunt Tartari, & in omnem venerem projecti, nefandò modò abutuntur. Pueros & minorem ætatem cum cæteris utensilibus, quæ ex domibus, aut sacris ædibus surripuerunt, in plaustrâ conjiciunt & abducunt.

Miseria Captivorum.

IX. Miserrima sors manet omnes ad crudelem hanc servitutem pertractos, utpotè, qui atrocissimæ gentis effrenem tyrannidem ne gemitu quidem edito tolerare coguntur. Pueros & infantes in Mahometica educant secta, juvenes ad militiam & ad omnem improbitatem solerter instruunt, qui procedente tempore, ut acrioris sunt ingenii, magistris Tartaris, imò & seipsis quotidie evadunt deteriores; nam ex corrupta natura facilis descensus averni. Adultos & robore præstantiores ad opera publica, vel privata adigunt, aut Turcis, Judæisque venundant. Unde fit, ut quotiescunque pecuniæ inopiâ laborant, in promptu semper habeant remedium, quò suæ necessitati succurrant, atque adeò ille opulentior censetur, qui plura possidet mancipia, aut pecora; hæc namque sunt opes, quibus dotantur conjuges, coluntur agri, domestica peraguntur ministeria, ac cætera quæque domi, forisque perficiuntur molimina, dum interim gens ignava otio & curandæ cuticulæ incumbit, labores omnes extra militiam perosa.

Vagæ Tartarorum domus.

X. Cæterum, ut adhuc pauca de Tartarorum moribus, etsi leviter superius perstricta, hic etiam addamus, reperiuntur inter eos non pauci, præsertim deserta loca incolentes, qui de loco in locum transeunt vagi erronei: pro domibus habent tentoria, currusque centonibus & animalium exuviis adversus pluvias munitos, quibus liberos, uxores & pauca utensilia sua imponunt, atque his sarcinis onerata vehicula per diversas regionis plagas circumducunt, nullibi stabilem sedem figentes, sed loca numerosis, quibus affluunt, gregibus, aut armentis pascendis idonea avidè perquirentes, quamvis in istis diutiùs non subsistant, quàm pabuli copia suppetit, quò absumptò proximas circum-eunt solitudines, nec alias suspiciunt opes. Quare Horatius eorum laudans mediocritatem occasionem sumit Romanorum avaritiam vel prodigalitatem perstringendi, dum canit:

Horat. lib. 2.  
od. 24.

*Campestris melius Scythæ  
Quorum plaustra vagas rite trahunt domos,  
Vivunt & rigidi Geta:  
Immetata quibus jugera liberæ  
Fruges & cererem ferunt.*

XI. Illa etiam apud eos fertur admirabilis sanè ditescendi ratio; etenim dum aliquis eorum ad incitas redactus, res suas in arcto constitutas videt, iste, quamvis ei unica duntaxat supersit ovicula, hanc in convivium parat, & ditiozem aliquem ad convivium invitat; nemo recusat, & quivis sibi grandi duceret piaculo, si ad pauperis cœnam invitatus venire contemneret. Altera die pridianus conviva in grati animi testimonium pro suo arbitrio sex aut septem suo hospiti rependit oves. Pauper verò ex donatis ovibus duas coquit, & plures ad convivium invitat, pluribusque hōc modō receptis ovibus plures alios diebus sequentibus hospites ad prandium accersit, a quorum singulis rursus certō ovium numerō donatur, quam avaram hospitalitatem pauper eousque continuat, donec sufficienti auctus grege de sua egestate emergat; omnes enim opes eorum in gregibus plerūmque consistunt. Nec est facilior modus quam convivando ditescere.

XII. Cyclopicam illam vitam, cui barbari assueverunt, tolerare quōque coguntur ingenui, & a felicibus nati parentibus Christiani. In Budziakeni tractu, etsi regio omnis generis frumenti sit feracissima, quod exteris vendunt, panis tamen quid sit, a multis ignoratur. Milium aquā ferventi dilutum, & aliquot diebus maceratum, usque dum ipso situ suo fermentatum acescat, mancipiis pro cibo apponitur, nec aliud obsonii genus eis ministratur. Solent subinde captivi Christiani, dum panis desiderio capiuntur, clam frumentum aliquod lapidibus conterere, massamque indè conficere, quam postea sub calidis excoquunt cineribus, ut hac subcinericii panis specie diu toleratæ satisfaciant orexi. Morticina sicut omnibus politis gentibus sunt abominationi, ita Tartaris sunt in deliciis. Nec satis dapsiliter se comēsse arbitrantur, nisi ad ructum, vomitum & nauseam se ingurgitent. Priusquam iter faciant, semel pro tribus, quatuorque diebus ingestis cibis stomachum farciunt, post hæc famis supra fidem sunt patientes. Tuguria, quæ in pagis inhabitant, sunt omnium miserrima, fœdissima potius stabula, quam hominum domicilia. Stat equus semper ante cuiusque januam; dedecus namque putant, ad vicini tugurium, etsi solūm decem passibus distet, pedibus se conferre, ideoque ex continua equitatione omnes plerūmque varicis incedunt gressibus. Mancipiorum vestimenta ita sunt obsoleta & lacera, ut obtegere vix valeant nuditatem; hyeme cruciantur atroci frigore, in æstate verò ingenti æstu torrentur; vulgus namque & secundaria nobilitas omnem vestium cultum aspernatur, & sordes in pretio habet. Patres Redemptores, dum ibidem morantur, tantam captivorum nuditatem indignè ferentes, redemptis quoddam injiciunt gausape, aut amiculum de animalium exuviis, quod ut vtile sit, cultu tamen Tartarorum nobilibus æquiparantur. Inter labores frequenter eis in mercedem obtingunt verbera; quodcunque minùs arridet, fustuariō vindicant; quandoque nullius ob noxam atrocissimis mulctantur flagris, nullamque injuriam

1693.

Modus paupertatem prœpulsandi.

Captivorum  
cibus milium  
& subcineri-  
cius aliquan-  
do panis.Tartarorum  
ingluvies.Eorum tugu-  
ria.Mancipiorum  
vestimenta  
lacera.

Verbera.

1693.  
Pius II. Pon-  
tifex Christia-  
nos ad com-  
miserationem  
exhortatur.

vitare possunt, vitæ & necis potestatem in Christianos captivos Tartaris sibi arrogantibus. Huc facit parænesis, quâ Pius II. Pontifex Maximus in Bulla Romæ expedita ad S. Petrum annô Dominicæ Incarnationis 1463. XI. Kalendas Novembris Christianos omnes ad bellum contra Turcas suscipiendum exhortatur, ubi inter alia hæc quoque habet: *Cogita de proximis & fratribus Christianis, qui vel sunt in captivitate Turcorum dura servitute pressi; vel captivari indies, atque in servitutem rapi verentur. Si homo es, humanitas te trahere debet, ut opem feras homini indigna ferenti. Si Christianus, pietas evangelica, quâ jubemur proximos tanquam nosmetipsos diligere.* Considera proximorum tuorum CHRISTI fidelium ærumnas, in quos Turci deserviunt. Filii e complexu parentum, & infantes ab uberibus matrum eripiuntur, violantur uxores in conspectu virorum, senes tanquam inutiles occiduntur, juvenes tanquam boves aratro junguntur, & terram vomere vertunt. *Miserere fratrum tuorum; affer opem tam dura ferentibus.* Hæc Pius Pontifex suo tempore de Turcarum immanitate, cui non cedit Tartarorum crudelitas; sed ex ipsa Turcarum Confessione plurimîs parasangis superat.

Fuga captivo-  
rum difficilis.

XIII. Fuga captivis, aut evadendi occasio est supra modum difficilis, & plena periculi; ea si cuidam Superum beneficiò successerit, miraculo adscribi debet. Nam Crimea undique mari circumfunditur, Isthmò exceptò, ubi strictus patet egressus, & hic profundâ fossâ ad utramque Isthmi partem maris undis repletâ cingitur, accentum Argis custoditur. A citeriore parte Tartaris Budziakenibus cum limitaneis Moldavis viget tractatus; ut si fugitivum mancipium retrahant, decem eisdem Leonini persolvantur, si verò eorum elabatur sagacitati, quod rarius accidit, totidem ipsi Moldavi in multam Tartaris dare cogantur leoninos. Quamobrem illi omnem exerunt industriam in perquirendis exteris & vagabundis; nisi enim hi firmissimis muniantur litteris, eorum libertas in fundo est, vel certè ingenti versatur in periculo. Ipsi Tartari ad recuperanda fugitiva mancipia omnem solent movere lapidem; insuper, ne quid intentatum relinquunt, Magos consulunt, e quorum numero sunt non pauci eorundem sacrifici, dæmonum familiaritati, superstitionibus & sortilegiis supra modum dediti, adeò, ut is sanctior credatur, & in majori veneratione habeatur, qui cæteros diabolicis artibus excellit. Illi itaque exigua mercede conducti suis carminibus efficiunt, ut captivus fugiens, dummodò in eorum adhuc regione reperiat, quasi dementatus per circulum currat bis centum intra passus, magnûmque iter die noctûque emensum ex sua lassitudine opinetur, cum modicæ circumferentiæ gyrum fasciatus non exiverit. Ideoque missi ad eundem comprehendendum lictores facile ex hoc indicio agnoscunt, & cum fremitu retrahunt fugitivum.

Pactum Tar-  
tarorum cum  
Moldavis de  
fugitivis.

Magis arti-  
bus a fugare-  
sinentur ca-  
ptivi.

Mi-

Miser, quantò pejorem causam fugâ sibi conflaverit, facillè intelliget, qui ferocissimum, gentique innatum vindictæ desiderium secum reputaverit: illud plerùmque usuvenit, ut talis hominis, domum reducti, facies conspuatur, alapis cædatur, pugnis tundatur, diris devoveatur, ligatis mox manibus, pedibusque in humum supinè dejiciatur; quò situ corporis duris ac præustis bacillis in pedis planta ab irato tyranno centenos aliquot ictus cogitur sustinere, gemitibus, lacrymis, precibusque ferreum pectus nihil emollientibus. Quodsi verò, ut communiter fieri solet, ex tot ictibus sanguis condensetur, indeque noxius tumor succrescat, planta pedis pluribus fissuris inciditur, ut cruor effluat, & ne plaga contracta sanie in putredinem desciscat, vulnera sale ac cinere perfricantur incredibili cruciatu in plures menses durante, quatenus longò dolorum experimentò eruditi discant in servitute perstare, ac deinceps a fugæ consilio abhorere.

1693.  
Fugitivorum  
pena.

XIV. Alteri fugitivo mancipio scissa fuit & detracta cranii cutis, ejusque locò pellis hircini capitis cum cornibus unguentò adglutinata & affuta. Eventus iste cum sit valdè memorabilis, quique multum lucis afferat ad uberius cognoscendas captivorum Christianorum calamitates, eum fusiùs aliquantò referam, prout illum a viro Ecclesiasticæ dignitatis, omnique fide dignissimo, Reverendissimo Domino Francisco Vadassio Abbate de Jasd Cathedralis Ecclesiæ Nitriensis Canonico accepi, cujus verbis tantò libentiùs acquiesco, quòd sciam, eum hanc tristem narrationem ab ejus ore audivisse, qui rem coràm suis oculis usurpavit. Accidit, ut circa annum 1680. Hungaris negotia quædam cum Tartaris transigenda emergerent, quorum causâ dum legati ex Hungaria per vastas illas Tartariæ solitudines proficiscuntur, greges ovium & caprarum juxta viam conspiciunt. Verùm quod eos supra modum attonitos reddidit, vident pastorem, qui gregi præerat, canâ, prolixâ, & incultâ barbâ caprinis cornibus eminere. Hòc illi spectaculò stupefacti substiterunt aliquamdiu, rati, hunc cornutum opilionem esse quendam ex illorum numero, quos cæca gentilitas sub nomine Satyrorum tanquam montium, nemorumque deastros coluit. Multò tamen majori admiratione suspensi fuerunt, cum audivissent, eum Latino idiomate hymnum illum decantare, quò Ecclesia in solemnitate Paschali ad CHRISTI Redemptoris nostri resurgentis celebrandum triumphum uti solet, videlicet: *Victima Paschali laudes immolent Christiani, Agnus redemit oves &c.* Perculsi illi tam inexpectato eventu, quòd in barbara terra aliquem reperissent, qui in lingua Latina suo modulamine aëra demulceret, inde collecto spiritu propiùs tandem monstrosam illum phonscum accesserunt, eumque latino itidem sermone interrogaverunt: Quisnam esset, & unde ipsi linguæ Latinæ cognitio obvenisset? E quibus verbis, cum miser ille animadverteret, se in homines Christianos incidisse (eos enim vestibus Tartaricis personatos priùs non

Fugitivo  
mancipio hirci  
cornua affiguntur.

1693. agnoverat) ducto ex imo pectoris suspirio in hunc modum respondit: *Christianus sum, & quidem Sacerdos, jam vile mancipium gregibus praesum!* Ad hoc inexpectatum responsum magis expavescere coeperunt adstantes Hungarorum legati; sed adhuc in re ambigui porro inquirunt, qualiter haec cornua in ejus capite succreverint? Quibus ille non sine gemitu & lacrymis reposuit: *Servitutem & verbera non amplius tolerare poteram, quare fugam molitus, sed interceptus sum; protinus ut transfugam me hac ignominia notarunt: e cervice mihi scissam detraxerunt pellem, & simul vivo unius anni birco cum cornibus verticem similiter depositum in sanguine ac calore adhuc manantem meo excoriato vertici certis unguentis ita applicuerunt, assueruntque, ut jam haec cornua nunquam absque maximo dolore divellere queam.* Percontantibus deinde ulterius, num libertatis recuperandae desiderio tangeretur? se namque ejus redimendi curam suscepturos, & de lytro ipsius tractaturos. Verum ille fortunae saevitiam perosus regeffit, nolle se fieri spectaculum hominibus, sed constituisse in desertis hanc occultare ignominiam; redemptionem vero animae ab infelici hoc corpore a DEO in brevi expectare. Inde stipe donatum reliquerunt, & stupore pleni, atque extasi coeptum iter profecuti sunt. Haec mihi anno 1698. die 2. Septembris praememoratus Canonicus, vir aetate grandaeus & auctoritate conspicuus recensuit, cum Nitriae aliquot diebus moram facerem.

Animae pericula in captivitate graviora.

XV. Has tamen calamitates universas, quas miseri captivi Christiani in corpore patiuntur, plurimis modis superant praesentissima animarum discrimina, quae tanto gravius secum detrimentum afferunt, quanto immortalis anima praestat corpore. Etenim, ut superius insinuavi, gens ista professa quasi hostilitate pudicitiae & castitati adversatur, & in omnem spurcitiem proclivis nullum scelus abhorret; atque adeo tot flagitiis se inquinat, ut verecundus calamus ea vel litteris solum commendare erubescat. Illud vero magis deplorandum, nempe, si aliquis captivorum carnis infirmitate victus exitiali huic affectui succumbat, ipsa vitii consuetudine ceu ponte quodam contabulato ad apostasiam fidei tendit; dumque e placido coeno emergere non vult, tam profundè illi immergitur, ut spem omnem salutis aeternae abjiciat. Multi profecto in tam profundum desperationis barathrum praecipites ruunt, ut palam testentur, & apertè profiteantur, se ob commissa flagitia omni spe veniae pridem excidisse; qua de causa in contumeliam Creatoris sui in peiora quotidie prolabuntur, praesentibus duntaxat sensum illecebris intenti. Reperiuntur ex horum numero non pauci, qui pecudum more viventes DEUM negant & blasphemant, magicis artibus student, immortalitatem animae rident, pravisque suis opinionibus fascinati pietatem omnem ludibrio habent, & sanctae fidei nostrae dogmata inter aniles fabulas rejiciunt.

XVI.



XVI. Hinc pronum est cuique animadvertere, captivitatem inter barbaras illas gentes esse, five corpus, five anima spectetur, omnigenarum miseriarum colluviem. Ex quo facili negotiô colligitur, in Redemptione captivorum omnia opera Misericordiæ & corporalia & spiritualia exerceri; veluti rem pensiculatoriùs examinanti luculentissimè constabit. Opera Misericordiæ utriùsque classis binis hîs vetustis versibûs comprehenduntur:

1693.  
Omnia opera misericordiæ in Redemptione captivorum exercentur.

*Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.  
Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.*

Omnia autem ista opera in captivorum Redemptione, mediatè, vel immediatè, ut cum scholis loquar, quotidiana ferè praxi excoluntur. Et ne prolixior sim, aut molestior evadam, in iis singillatim exponendis, cum res aliunde neminem latere possit, quædam etiam in præcedentibus jam sufficienter explicata maneant, quædam pariter ita manifesta sint, ut expositione minimè indigeant, alia verò in sequentibus passim luculentius explanaturi simus, pro coronide præsentis libri solum referam Aureum illud URBANI VIII. Sanctissimi Pontificis Oraculum, qui in Bulla, cujus initium est: *Salutaribus Apostoli monitis sequentia Uncialibus Litteris scribenda verba de Redemptione captivorum protulit: TAM PIUM OPUS, QUOD CÆTERIS MISERICORDIÆ OPERIBUS ANTECEDIT, ET IN QUO FERÈ ALIA OMNIA QUASI PER COMPENDIUM EXERCENTUR.*

Hæc ille. Neque ego plura, sed hac tam memorabili Sedis Apostolicæ sententiâ secundum hunc nostræ Historiæ Librum veluti gemmâ ob signo.

